



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
19 H
11 H

AD EXECRABILES QVATVOR ARTICVLOS ADVERSVS SACRAM MISSAM,

In nundinis Guybræis, innominato autore euulgatos, respon sio.



PER RENATVM FRVZEVM BENEDIctinum, Theologum Parisiensem.

CVI ADIECTVS EST LIBELLVS: De multiplici hæreticorum tentatione. Per Ioannem Vacquerium Röiensem, eiusdem Facultatis Doctorem.



PARISIIS

Apud Nicolaum Chesneau, via Iacobæa, sub scuto Frobeniano, & Quercu viridi.

M. D. LXI.

CVM PRIVILEGIO SENATVS.

PIO LECTORI R. FRVZAEVS SALVTEM.



Anc scripsimus respõsionem, Christiane Lector, iis qui schedam illã nundinariam legerint. Propterea nec visum est illius verba recensere. Puduit etiamnum res tam putidas iterum lectoris subiicere oculis. Qui viderunt, satis intelligent, quid, cui respondeat. Qui non viderunt: non querãtur mancam responsionem, quæ aliis est scripta. Quanquam fortãßis nec ipsis futura est inutilis. Nec vidisse cupiant admodum: quæ visa obesse possunt plurimis, prodesse nemini. Vale.

BREVIS RESPONSIO AD EXECRABILES QVATVOR

articulos aduersus sacram Missam, in nundinis Guybræis, innominato autore euulgatos, per Renatum Fruzæum Benedictinum, Doctorem Parisiensem.



D primum. Antiquæ legis sacrificia (quoniã imperfecta erant, & impossibile erat sanguine taurorum & hircorum auferri peccata) repetebantur nõ modò quotãnis per Pontificem: sed & quotidie per sacerdotes. Quotidie nouæ offerebantur immolabantúrque hostiæ, nouus quotidie fundebatur sanguis: donec Dominus noster Iesus Christus summus pontifex corpus suum, vitam & sanguinẽ ad destructionem peccati Deo patri obtulit semel in ara crucis in sacrificium perfectissimum.

Quod cruentum, visibile, ac sensibile Christi sacrificium (quoniam vndiquaque perfectum est, infiniti meriti, planéque satisfactoriũ pro peccatis totius mundi) nõn *1. Ioan.*

repetitur, non iteratur, non iterum crucifigitur Christus. Non alia persona aut diuina aut humana immolatur. Nullus Deo cęditur vitulus, aut hircus. Nullus iam effunditur sanguis. Nullum incenditur holocaustum. hæc vult Paulus.

-bræo. 7.9.10.

In sacra Missa offertur sacrificium, sed non cruentum, non visibile, non sensibile: nec tamen nouum. Non aliud quàm quod semel obtulit Christus in cruce, non aliud hodie, aliud cras. Non aliud in hoc altari, aliud in illo. Quod luculenter exprimit Chrysostomus. Quia, inquit, semel oblata est illa hostia, oblata est in sancta sanctorũ. hoc autem sacrificium exemplar est illius, Idipsum semper offerimus, nec nunc quidem alium agnum, crastina alium: sed semper eundem ipsum. Proinde vnum est hoc sacrificium. hæc Chrysostomus.

-omil.17. Epist. Heb.

Offertur itaque in sacra missa semper idem agnus, idẽ corpus Iesu Christi, idem ipsius sanguis, quæ consecrante sacerdote ministro diuina occurrẽte, & operante potentia sub speciebus panis & vini esse incipiunt inuisibiliter, & insensibiliter, vti fuere consecrãte Christo in cœna. Sumuntúrque à fidelibus quemadmodum sumpserunt

runt tunc sancti Apostoli porrigente Domino Iesu, atque sacramentum hoc instituente.

Et verũ sacrificium est, non solùm quatenus quod hîc agitur, memoria quædam est & repræsentatio sanctiss. illius sacrificij, salutarísque immolationis semel factæ in cruce, verũetiam quatenus hîc quoque est hostia. Non alia: sed eadem, dum reuera sacerdos in persona Ecclesiæ præsentat Deo patri oblationem illam factam semel per filium.

Neque hæc ex humana inuentione aut institutione, verùm ex eiusdẽ Domini nostri expresßiss. præcepto, qui peracto sacrosancto illo mysterio, atque sacramento, disertis verbis illud iußit obseruandum, & quod ipse fecerat faciẽdum, inquiens: Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescunque enim mãducabitis panẽ hunc, & calicem bibetis, mortem domini annũciabitis donec veniat. *Luc.* 22 1. *Cor.* 1

Excederemus compendij modum, si huc adduceremus quæcunque occurrunt ad cõprobandum verba illa Christi, & quæ in eam sententiam habentur paßim in Euangeliis, ad eum quem diximus sensum esse

intelligenda. Proferendi nobis essent omnes sacri doctores, quotquot fuerunt à tempore Apostolorum. Proferenda autoritas perpetuúsque consensus vniuersalis Ecclesiæ, quæ & oppositos errores, quoties oborti sunt, oborti autem sunt rarissimè, compescuit. Nec inuenit is error sectatores extinctis autoribus, vti inuenere errores Manetis, Arrij, Donati, Macedonij, Pelagij, ac aliorum hæreticorum. Vsqueadeo crassus est præ cæteris iste error, & homini Christiano inopinabilis, qui neque oriri potuit: nisi post mille annos à passione Domini, posteaquàm totus fidei ac religionis Christianæ feruor deferbuerat, vt postremus esset errorum omnium veluti pessimus, nasceretúrque quando nulla iam alia hæresis excogitanda superesset. Quin & statim natus à parente suo abdicatus est Berengario.

Ad secundum. Christi corpus in cœlo est visibiliter in forma humana, in altari est inuisibiliter sub speciebus. Et quoniam hîc ex Augustino pugnat aduersarius: adducam vnum & alterum ex Augustino locum ex infinitis, vt Augustinus Augustino respondeat, ipséque sui ipsius sit interpres, atque Fulgentij. Ait ille. Norunt

fideles quomodo manducent corpus Christi. Per partes quidem sumitur in sacramēto: & tamē totus permanet in cœlo. Et rursus, HOC est quod dicimus, quod modis omnibus approbare cōtendimus. Sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine, sacramento, & re sacramenti, id est, corpore Christi. Hæc Augustinus.

De ver- do. & h- betur d- Con. di. cap. Q- māduca. In lib. s- ten. Pros- ri. & h- betur con. di. 2 hoc est.

Quod autem contendit egregius ille scripturarum interpres, portas patefactas ad ingressum Iesu in discipulorum conclaue post eius resurrectionē. De quo apud Ioannem c. 20. negátque Euangelistam habere, quòd ingressus sit ianuis clausis, impostura est luculentissima. Nam de ingressu octauę diei ita habet: Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio. Quem locum nemo vnquam aliter est interpretatus, neque interpretari potuit, quàm quòd ingressus est clausis & inapertis ianuis, sicuti resurgens exierat clauso, obsignato, & inaperto monumento.

Ioan. 20.

Adde quòd parum intelligit nouus hic theologus dotes corporis gloriosi, dum ipsum elemētis facit obnoxium, vt vel car-

cere claudi posſit, & teneri, aut pariete tenuíve arceri oſtiolo, nihilóque vult eſſe expeditius, mortali adhuc Petri corpore, ex Herodis carceribus exeuntis.

Ad tertium. Quandoquidem clancularius ille ſcriptor teſtem citat Auguſtinum: feret, opinor, ſi eundem teſtem citauero, & cum eo vnum & alterum nihilo ipſi Auguſtino inferiores, ſuperiores etiam tempore, vt in ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbum. Ait itaque Auguſtinus: Fideliter fatemur ante conſecrationem panem eſſe & vinum, quod natura formauit: poſt conſecrationem verò, carnem Chriſti & ſanguinem, quod benedictio conſecrauit. Item: Sicut per Spiritum ſanctum vera Chriſti caro ſine coitu creatur, ita per eundē ex ſubſtantia panis & vini idem corpus Chriſti & ſanguis cōſecratur. Ambroſius tractans illud, Accipite & comedite: hoc eſt corpus meum. Si, inquit, tantùm valuit ſermo Heliæ, vt ignem de cœlo demitteret, non valebit tantùm ſermo Chriſti, vt ſubſtantias mutet? Item, Panis eſt in altari vſitatus ante verba ſacra: vbi acceſsit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Item, Si tāta vis eſt in ſermone Domini, vt incipiāt eſſe quæ non

Math. 8. *In li. ſent. Proſperi. et habetur de con. di. 2. ca. Nos autem. Habetur de con. di. 2. ca. vtrū ſub figura. Lib. de iis qui myſt. initiantur c. 9. Lib. 4. de ſacramētis c. 4. & habetur de cō. di. 2. ca. Panis eſt. Eodem c.*

quæ non erant, quanto magis operatorius est vt sint quę erant, & in aliud commutentur? Et sic quod erat panis ante cõsecrationem iam corpus Christi est post consecrationem. Quia sermo Christi creaturam mutat, & sic ex pane fit corpus Christi, & vinum cũ aqua missum in calice fit sanguis, consecratione verbi cœlestis.

Cyprianus martyr, Panis iste quem Dominus discipulis porrigebat, nõ effigie, sed natura mutatus, omnipotẽtia verbi factus est caro. Irenæus & ipse martyr. Quando & mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi. Accedat & Eusebius Emisenus. Inuisibilis sacerdos, inquit, visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbo suo, secreta potestate commutat. Sed iam egredior fines compendij.

In sermo. de Cœna Domini.

Lib. 5. aduer. hæres.

Habetur de con. di. 2. ca. Quia corpus.

Ecce ex pane & vino Christi corpus & sanguinem confici. Panis, inquam, & vini substantiam, in substãtiam corporis & sanguinis Christi mutari. Porrò quum ita sit: quid incongrui est si huiusmodi substantiæ in substantiam transitus dicatur transsubstantiatio, vti transitus formæ in formã dicitur transformatio, mutatio figuræ in

figurā dicitur transfiguratio, vt quod pluribus diceretur, vnico dicatur verbo, vel recēns adinuento? Tametsi non ita recens est transſubstantiationis vocabulum. Eo vſi ſunt atque in hanc rem ante annos trecentos & quinquaginta, mille & trecenti Patres in Lateranenſi concilio, Verum Christi corpus, inquit concilium, & ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur, tranſſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate diuina.

c.i. & ha betur de ſum. Tri. & fi. cato. c.i.

Cæterùm quod nonnunquam in ſcripturis dicitur panis, iam facta conſecratione, denominatio eſt à præexiſtente materia nó inſueta ſcripturæ. Sic in Exodo, coluber & dracones facti per tranſmutationem virgarum Aaronis, & maleficorum Pharaonis, dicti ſunt virgæ: quum iam virgæ non eſſent, ſed coluber verus: & dracones ex virgis. Deuorauit, inquit textus, virga Aaró virgas eorum. Sic apud Ioannem, Vinum ex aquæ tranſmutatione factum in nuptiis, dictum eſt aqua, quum iam aqua non eſſet, ſed vinùm merum ex aquæ tranſmutatione factum, Dum guſtaſſet (inquit Euāgeliſta) Architriclinus aquā vinum factam, dixit

Exo.7.

Ioan.2.

dixit ſpóſo,&c. Nõ ſequitur ergo, id quod habetur in altari, conſecratione facta, dictũ eſt panis: ergo panis eſt, non corpus Christi: ſicut non ſequitur, ſerpentes illi facta tranſmutatione dicti ſunt virgæ: ergo virgæ erant, non ſerpentes. Vinum illud tranſmutatione facta dictũ eſt aqua, ergo aqua erat, non vinum.

Quod autem obiicit de corroſione & corruptione. Corrumpi quidem poſſunt ſpecies, ſed non Chriſti corpus, quod abeſt mox corruptis quoquomodo ſpeciebus. Nec cedit magis in detrimentum dignitatis corporis Chriſti, ſi ſpecies quibus ſubeſt rodantur à bruto: quàm quum permiſit idem ſuum corpus à ſceleratis hominibus, quouis bruto turpioribus, tangi, cædi, crucifigi.

Ad quartum. Quos aſſerit ſcriptor ille fructus eſſe ſuæ dominicæ cœnæ, ij profecto ſunt dignæ celebrationis ſacræ miſſæ, ſumptioníſque ſacroſanctæ Euchariſtiæ, quæ hauddubiè vera eſt dominica cœna.

Qui plura videre volet, collectim aduerſus iſtam ſacramentariam inſaniem legat Roffenſem Epiſcopum, Ioannem Ecquium, cæteróſque qui hoc noſtro tempo-

re,quo iste ab inferis reuocatus error,in eũ integra scripsere volumina.

Maledicentiis insolentibus,blasphemiis execrandis, manifestis calumniis, subsannationibus impudentibus,infamibus probris, quibus toti illi quatuor suffarcinati sunt articuli, non censui respondendum. Miserescẽdum potius hominis malè sani, cuius impotens stomachus tantùm spurcitiarum vno euomuerit hiatu.

EXTRAICT DES Registres de Parlement.

L*A Court ayant esgard à la requeste à elle presentée par Nicolas Chesneau Libraire en l'uniuersité de Paris, à ce qu'il luy fust par ladicte Court permis imprimer & exposer en vente, vn petit liure, intitulé* Brieue response aux quatre articles cõtre la Messe, publiées par vn auteur incogneu, à la foyre de Guybray, 1560. Composé par René des Freuz, religieux de l'ordre sainct Benoist, & Docteur en Theologie à Paris. *La Court, apres auoir veu la certification de deux Docteurs Regens en la Faculté de Theologie à Paris, qui l'ont iugé & approuué catholique, & digne d'estre imprimé, a permis & permet audict Chesneau, l'impression & vente dudict liure, tant en Latin qu'en François. Et a inhibé & defendu ladicte Court à tous autres Libraires & Imprimeurs, d'imprimer, ny vendre autres que ceux que ledict Chesneau aura faict imprimer, pendãt le temps & terme de quatre ans, Sur peine de confiscatiõ de ce qui s'en trouuera d'imprimé ou vendu au contraire, & d'amende arbitraire.*

Faict en Parlement à Paris, le 15. *de Mars, Mil cinq cens soixante.*

Signé DV TILLET.

DE MVLTIPLICI HAERETICORVM TENTATIONE,

PER IO. VACQVERIVM Roïensem, societatis Sorbonicæ Doctorem.

CVI ACCESSIT SERMO per eundem habitus, in baptismo duorum adolescentum terræ Almericæ.

Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Prouerb. 1.



PARISIIS

Per Nicolaum Chesneau, in AEdibus Claudij Fremy, via Iacobæa, sub signo diui Martini.

M. D. LXI.


CVM PRIVILEGIO.

EXTRAICT DES registres de Parlement.

La COVRT ayant esgard à la requeste à elle presentée par Claude Fremy & Nicolas Chesneau Libraires en l'vniuersité de Paris: à ce qu'il leur fust permis imprimer & exposer en vente ce present liure, intitulé De multiplici hæreticorum tentatione, per Ioan. Vacquerium Roïensem, societatis Sorbonicæ Doctoré. Cui accessit sermo per eundem habitus, in baptismo duorum adolescentum terræ Almericæ. Ladicte Court, aprés auoir veu la certification des Docteurs en Theologie, regens en l'vniuersité de Paris, qui l'ont veu, visité & approuué catholique: a permis & permet ausdictz Fremy & Chesneau, l'impression & vente dudict liure. Et a inhibé & defendu à tous autres Libraires & Imprimeurs de l'imprimer, & moins exposer en vente, iusques au temps & terme de trois ans finis & acomplis: sur peine de confiscation des liures qui se trouueroyent imprimez par sus ladicte defense, & d'amende arbitraire. Faict en Parlement à Paris le 11. iour de Ianuier, M. D. LIX.

Signé CAMVS.

Stude sapientiæ fili mi, & lætifica cor meum, vt poßis exprobranti respondere sermonem. Prouerb. 27.



REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ATQVE Illuſtriſsimo Principi, Carolo Cardinali Lotharingo ſemper Auguſto, Io. Vacquerius, ſalutem.

CVm ineunte Quadrageſima præclarã illam & vniuerſo orbi iucundiſſimam legationem pro confœderandis Regibus Chriſtianis obires, Reuerendiſsime Cardinalis, & ſemper mihi obſeruande Mæcenas, proſpectabam ſi quod argumenti genus daretur, quo tibi cum pace reuertenti gratulari poſſem. Occurrit autem ſtupẽdus ille tentationis conflictus, quo Satanas Chriſti Domini diuinitatem explorare vo

luit: iuxta cuius formam hæreticorum næniias & friuolas obiectiones (quæ non aliunde quàm ab ipso dæmone proficiscuntur) in hæc eadem tria capita quasi in neptunium tridentẽ reuocare studui: illis suam solutionem ex sanctißimis eiusdem Christi responsis adferens. Vt hinc facile quibuslibet, cùm simplicibus tùm doctis, patere queat quàm inefficaces atque inutiles sint, nec ita solutu difficiles viro pio & catholico eorum rationes: qui sese aduersus dominum & aduersus Christum eius armant. Hoc igitur quantulumcunque est operæ nostræ, tibi sapientißimo pacis & concordiæ patrono nuncupo, quo sic agnoscat reuerendißima atque illustrißima dignitas tua nunquã intermorituram apud me tuorum beneficiorum memoriam.

Bene valeat & semper floreat eximia sanctitas tua. Datum Faræ monasterij, xvij. Calend. Maij. 1559.



PRÆFATIO.



VS QVE hodie aduerſarius noſter diabolus circuit,tanquam leo rugiens per angiportus, & obliqua viarum , iuxta tabernacula paſtorum Eccleſiæ Chriſti,quærens quem deuoret:qui mundo & carne comitibus,quanquam pluries à Saluatore noſtro ſanctiſque patribus fuſus proſtratúſque fuerit, nihilominus (vt eſt pertinax in noſtrum excidium)pugnam ſubinde inſtaurat, non ita diſſimilem certè vno tempore atque alio:nec laſſatur aut defatiſcit vnquam ab oppugnanda hominum ſalute hic noſter capitalis atque infenſiſsimus hoſtis.Verùm quaſi nunc primùm, orta ſint diſsidiorum incendia , vel nuper inter nos & illum conclamatum ſit bellum , duriter ac hoſtiliter nos impetit,& përdere conatur: permanētibus adhuc in eo illis irarum ſtimulis , quibus agitatus ſanctum apoſtolorum Senatum infeſtare parabat,cùm inſtante paſsione dominus dixit Petro: Simon , ecce expetiuit vos Satanas vt cribraret ſicut triticum : veruntamen rogaui pro te , vt non deficiat fides tua:& tu aliquando cōuerſus confirma fratres tuos. Ex cuius ſcripti occaſione ſimul & tentatione illa triplici, qua Chriſtum Eccleſiæ caput,& ſummum politię Chriſtianę principem aggreſſus eſt,ſtudioſo lectori nobis in animo eſt commonſtrare,qualiter hoc noſtro ſeculo nobis per hęreticos familiares ac domeſticos hoſtes,eoſdē propemodum inſultus,eadémque ſpicula proponat : quibus olim ipſum Eccleſię caput impetebat.Imò verò(ni fallor) hæreticos & apoſtatas fugitiuóſque iſtos tanquam vim externę militię ſibi adiunxit ſerpens ille & draco antiquus, ſperans ſe iis mi-

1.Pet.5. *Luc.22.* *Matth.4.*

nistris autoribus facilius de Ecclesia triumphaturum: Non
Matth. 12. aliter quàm legimus Matth. 12. spiritum immundum ab homine pulsum, quando non inueniebat requiem: sibi auxilij gratia, assumpsisse alios spiritus septem nequiores se, quatenus iis veluti subalaribus pręsidiis domum vnde exturbatus fuerat recuperaret. Vtitur itaque diabolus iis nostris domesticis hostibus pro fortissimo cornu & pręsidio legionum suarum aduersus seruos Dei: qui ideo fortius deteriúsque vulnerant, quia minus cauentur: & non hostes, sed amici esse creduntur. Quapropter hoc breui quod apparamus opusculo, operæpretium nos facturos putamus, si certo statutóque ordine impietatis argumenta quibus isti incumbunt retexuerimus, ac deinde eorundem impetum verbo domini retundentes, militiæ nostræ pugiles doceamus insidias ferruginatæ pietatis huius vitare: ne se temerè infidelibus & perfidis viris credant. Quod dum tibi elaboramus, ô studiose lector, vide quæso ne aduersariis fidei & religionis nostræ plus tribuas, quàm sanctis atque orthodoxis patribus: sed (vt dignum est) vtrorumque proposita maturo iudicij æquilibrio perpende.



PRIMA CONGRESSIO dirigitur contra appetitum ſenſitiuum.

CAPVT PRIMVM.



OLENT acies ad conflictum paratæ imprimis ſpectare qua parte hoſtilis cuneus ſit infirmior. Et qui vrbes obſident, conſiderant qua minus inſtructæ munitæque fuerint: vt eo ſtatim conuertant totius exercitus robur. Ad quorum exemplum ſerpens antiquus pro ſua calliditate infirmioré debilioremque animæ partem, id eſt appetitũ ſenſitiuum oppugnat, ſummam & præcipuam occaſionem nactus ex procliuitate eiuſdem ad peccatum: de qua Geneſ.8. Senſus & cogitatio cordis huma- *Geneſ.8.*

ni in malũ prona ſunt ab adoleſcentia ſua.
Matth.4. Hinc eſt quod Chriſtum eſurientem poſt quadrageſimæ ieiunium iis verbis aggreditur: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Quam methodum ſequuti pſeudoprophetæ noſtri, ieiunia, cõtinentiam, caſtitatem, vota monaſtica, diſciplinas, proſtrationes, cilicia, & reliquos ſalutaris pœnitentiæ ritus paſsim cõdemnant: ſubinde obiectantes fidelibus Deum miſericordem eſſe, nos ſuo precioſo ſanguine redemptos, in filios adoptaſſe promiſsionis: ob idque iſta omnia non pœnitentiæ, ſed diffidentiæ eſſe opera: à filiis duntaxat requiri plenam in patris eximij bonitatẽ fiduciam: non eſſe huius voluntatis vt per
Isa.58. diem affligat homo animam ſuam, vel cõtorqueat quaſi in circulũ caput ſuum, ſaccum & cinerem ſibi ſternens. Itaque negligenda abhorrẽdáque eſſe pœnalia omnia ſatisfactionis opera, cùm ipſa fiduciam in Deum minuere videãtur, & ipſe Chriſtus integrè pro peccatoribus ſatisfecerit: ſufficere ad ſalutẽ beatitudinẽmque cœleſtem aſſequendã cum nuda fide in Deum, qualemcunque peccati diſplicentiam. His & ſimilibus impoſturis antichriſti præcurſores

ſores & ſatanæ miniſtri cōmonſtrant perquam ſtudioſè diuinam filiorũ adoptionem,qua interueniente omnia Chriſtianis vel ex ſolo nomine tuta ſunt: ſeueritas legis in clementiam Euangelij, auſteritatis durities in libertatis & miſericordiæ dulcorem eſt conuerſa: inuentis frugibus relinquendam glandem,nec temerè contemnenda eſſe Dei dona. Indulgēdum vſquequaque animo,& Dei benedictionibus vtrobique perfruendum:quandiu ſumus in corpore,non reſpuendam voluptatem nobis deſuper à patre luminum conceſſam, qua & hic beſtias,& beatos ſpiritus in cœlo recreat. Hæc ſunt ſatanæ aucupia,etiam nunc Chriſto in ſuis membris inſultantis: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Neſcis,Chriſtiane,quia quando venit plenitudo tēporis, miſit Deus filiũ ſuum, factum ex muliere,factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, & adoptionem filiorum Dei reciperemus? Cur in filium immenſa illa Dei dignatione adoptatus adhuc porcorum ſiliquis hæres? ſeruilibus te contaminas epulis? & lapidem tibi pro dulci puluino ſternis? orbitatis & caſtimoniæ tædia pro iucunditate marita- *Galat. 4.*
li

li,languidum carnis marcorem & ieiunia, pro conuiuiorum delitiis tibi accommodas?quin potius voluptatibus à deo in tuũ ſolatium creatis perfrueris?& lapides iſtos in panum iucunditatem commutas? Dic, dic vt lapides iſti panes fiãt, iſtis omnibus valedicẽdo,& conſuetum vitæ inſtitutum mutãdo:animò tuo impera,vt edat, ludat, bibat, amplexibúſque indulgeat, & filios procréet in ſuperuenturæ ac decreſcentis ætatis ſolatia. Nam & ipſe Apoſtolus diſci
1.Tim.4. pulo Timotheo,ſuadet vini potum,& iuniores viduas vult nubere, filios procreare,ac matresfamilias eſſe. Et ad eundẽ ſcribens, illos condẽnat qui in hypocriſi mendacium loquentes prohibent nubere, vel præcipiũt abſtinere à cibis quos Deus creauit,ad percipiendum fidelibus cum gratiarum actione. Obedientiæ quoque & paupertatis electiuæ propoſitum,lapides eſſe duros profitentur: à filiis Dei in panes libertatis à Chriſto donatæ conuertendos: temerarium & plenum præſumptionis iudicium eſſe homines ſibi plura ad æternã vitam capeſſendã facere neceſſaria, quam ipſe Deus homini præſtituit. Satius eſſe obedire Deo, quàm hominibus, in malè

promiſsis

promiſsis reſcindendam fidem, nec eſſe obligatoria contra bonos mores præſtita iuraméta. Tali verborum ambage iunctis voluptatum illecebris monachis & ſanctimonialibus perſuadere conãtur, vt abiecto in vrticas cucullo, complicatis pudicitiæ velis, ac repudiato ſanctæ profeſsionis inſtituto, tranſuolent Genebam, Lauzanã, aut quolibet alio noua quadã atque inaudita libertate victuri. Libertas (inquiunt) nullo eſt auro vendibilis. At hæc (quã mihi promittitis) libertas, in ſeruitutem & ſubiectionem pluſquam Pharaonicam tendit, Rurſus captiuum Dei populum Babylonem ducit. Hîc virgunculæ Deo conſecratæ ſuggerunt illud Virgil.

Sola ne perpetua mœrens carpere iuuenta, Virgil. 4 Aeneid.
Nec dulces natos Veneris, nec fœdera noris?

Mox fallacibus verbis ac promiſsis irretitam abducturi, admonent de tollendis vel Eccleſiarum vel parẽtum ſuorum theſauris, id eſt de auferendis Ægiptiorum ſpoliis (ſic enim Catholicos appellant) atque ita paratas dolo coniuges duplici ſacrilegio infames traducunt: illis tamdiu vſuri, quãdiu iniquæ & ſacrilegæ dotis nũmus ſuperfuerit.

Nam

uenal. -- *Nam apud illos*
Quantū quiſque ſua nummorū ſeruat in arca,
Tantum habet & fidei.

Vt omittam quòd hîc quoque ſæpe facies, non vxor amatur: quæ poſtquam vel per ætatem, vel per valetudinem defloruerit, tunc miſeræ exprobrabitur nimium tuſsis, & nimium ſæpe emungeris, alia nobis ſicco naſo quærenda.

Collige ſarcinulas dicet libertus, & exi.

Quapropter ô pulchra & ſpecioſa virgo, quæ domus quoque patris oblita es, vt venires in amplexus Regis cœlorum, tam caſtos quàm beatos atque fœlices: noli annos tuos tradere crudelibus atque infidelibus viris. Et tu

rgil. in *O formoſe puer nimiùm ne crede colori,*
col. *Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra legūtur.*

Monachos autem monialéſque pauperes ad ſe diuertentes miris modis ludificant, & in Eccleſiæ catholicæ ordinúmque ſuorum contumeliã, auctoritate publica coniugatos, cerdones lixáſque ſibi cōſtituunt: quod reliquum eſt vitæ in ſummo luctu & ſqualore acturos. Hæc eſt illa voluptatis larua, quæ principio pauperculis atque infœlicibus blandiebatur. Sic conſueuit eorum

rum pater diabolus tendiculas suas sternere, vna manu panem monstrans, altera lapidem ad mactandum cælans. Hoc est voluptatis mundanæ ingeniũ contra quã nos admonet iis versibus Christianus poëta:

-- Non insidiosa voluptas Mantua.
Decipiat quenquã, blanda sub imagine semper
Ingreditur. Nardi succos, vnguenta, sapores
Mellifluos præfert: vultúque applaudit amico.
Sed nihil est sine fraude, latet sub melle venena:
Quæ postquã imprudẽs biberis, fugit illa repẽte
Læta dolis, manet infixum sub pectore vulnus.

Haud ita dissimili iaculo primos homines in paradiso petiit generis nostri osor: obiiciens cõtra diuinum præceptum ligni pulchritudinem ac suauitatem: Cur præcepit vobis Deus ne comederetis ex omni ligno paradisi? Cur hoc vnum excepit gustu suauissimum, & visu pulcherrimum? Cur serpẽtibus & bestiis edere licet, homini creaturarum omnium dominatori non licet? durum certè ac lapideum est hoc mandati genus. Mox respondenti mulieri: Ne fortè moriamur, addidit: Nequaquam moriemini. Scit enim Deus quòd in quacunque hora comederitis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malũ. Genes. 3.

Hic

Hic est panis mēdacij, quo interueniente, lætale tandem vulnus inflixit: stola innocentiæ spoliatos, saucios, ac moribundos reliquit.

QVA RATIONE ELIDAtur hic primus tentationis hæreticæ insultus. Cap.2.



[Pr]ouerb. 1. ILII MI, si te lactauerint hoc modo peccatores, volentes te à Dei & Ecclesiæ sanctæ obedientia retrahere, ne acquiescas eis: quin potius stu-

[Ib]idem 27. de sapientiæ,& lætifica cor fidelium,atque orthodoxorum patrum, vt possis exprobranti diabolo fidelem veritatis respondere sermonem. Imò verò si vis aperi oculos tuos,& vide. Vide inquam,& agnosce, ac imitare Christū omnibus istis obiectis

[M]atth.4 pro te respondentem: Non in solo pane vi

[Deut]ero.8. uit homo,sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. Nam hac vna breuissima periodo verbi dominici abundè vniuersa obiecta refelluntur. Quomodo enim non in solo pane materiali viuitur,sed in omni re quam

re quam Deus sua benignitate destinat homini pro viatico, siue hominem diuerso alimenti genere nutrire velit (quemadmodum Israelitas olim quadraginta annis manna celitus demisso nutriuit) siue bonitatis suæ dulcedine absque cibo robur hominis integrum seruet: (sicut in Helia, Moyse, Daniele & aliis plurimis accidisse creditur) ita vita spiritus & gratiæ diuersa media habet, nec duntaxat connubio aut eximia illa viuendi libertate quæ nobis proponitur via ad cœlum patet. Non negamus cõiugatis & solutis viris salutis viã: nec diffitemur meretricibus quoque & publicanis iter ad misericordiam & gratiam pandi, si relicta peccãdi cõsuetudine illam quæsierint. Verùm non hæc vnica est via: nec ad cœlum ingredi volentibus necesse est coniugari: alioquin nec ipse Christus, nec Ioannes eius præcursor, nec alij prope innumerabiles cœlo ascripti essent, qui virgines fuerunt: quorum castitatem sequuntur in Ecclesia, qui sancto proposito integritatis seruandæ, sese Deo & Christo deuouentes vltro castrauerunt: qui nec cõiugatis salutẽ suam inuident, aut vllo modo præripere contendunt: verùm hac via

se Dei clementiam facilius conciliaturos sibi arbitrãtur,& veluti hac securiore breuioréque semita sibi ad cœlos aditum parari existimant.Hinc est multiplex illa(cu
Matth.19. ius meminit Christus Matth.19.) Eunuchorum differentia. Sunt (inquit) Eunuchi qui sic nati sunt ex vtero matris,& sunt Eunuchi qui facti sunt ab hominibus, & sunt Eunuchi qui se castrauerunt propter regnum Dei:quos,scilicet Eunuchos,fecit nó necessitas,sed volũtas. Coniugatorũ ordiné nemo nisi stolidus vituperare aut reprobare potest,Deo instituẽte atq; appro-
Genes.2. bante nuptias. Genes. 2. Relinquet homo patré & matré,& adhærebit vxori suæ. Et
1.Cor.7. Apostolo dicente:Si acceperis vxoré,non peccasti: & si nupserit virgo ,non peccat. Ad quem modum dicere possum contra locutuleios & blaterones nostros: Si continuerit virgo,non peccat.Itaque neque matrimonium, neque castitatis propositum nos simpliciter saluos facit, sed impletio mandatorum Dei,& pietatis obseruantia. Potest tum virgo, tum coniugatus damnari, potest & saluari: saluabuntur autem si fideliter Deo obedierint, eius mandatum
1.Cor.7. seruantes. Si vis ad vitam ingredi (inquit

Christus)

Christus) serua mandata. Verùm iis stantibus, optat Apostolus Corinthios omnes suo exéplo cœlibes viuere: & virgines sic permanere hortatur. tum quia melius est, tum etiam vt ablegata mundi cura cogitét quæ sunt domini, & quomodo sint sanctæ corpore & spiritu. Qui matrimonio (inquit) iungit virginem suam, bene facit: & qui nó iungit, melius facit. Ordines varios ac differentes honorum gradus habet ciuilis status: & politia Christi, gradus suos honore perfectionéque distinctos habet. Dánabilis cócubinatus, & fornicatio omnis, honorabiles nuptiæ, & thorus immaculatus: sed virginitas excellétia atque dignitate præcellit: quam & sua natiuitate consecrauit, & vita comprobauit Christus dominus. Cui ex annexis subscribés apostolus, ait: Volo vos sine solicitudine esse. Qui sine vxore est, solicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui auté cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu: Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Quam vir-

1.Cor.7.

Hebr.11

Matth.2.

1.Cor.7.

ginitatis Christianæ eminentiam præsentiens diuinus ille Esaias, Nō dicat (inquit) Eunuchus: Ego lignum aridum: quia hæc dicit Dominus Eunuchis. Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum & nomē melius à filiis & filiabus. Nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Porrò quod scribit Apostolus, si nupserit virgo, non peccat: intelligere oportet de iis quæ nulla districtione voti obligantur, & sui sunt iuris. Nam ex quo quis sanctè castitatem vouit, ab instituto, & hoc sancto castimoniæ proposito, illi multominus resilire licet, quàm vxori recedere à viro. Quæ enim votis sacris astricta est, Deo desponsata coniunctáque esse meritò censetur: ob ídque si homini carnali commercio iungatur, non modò adultera, verumetiam sacrilega iure omni reputatur: nisi fortè hæreticus hoc loco fateri velit fidem quidem homini datam obligare, sed non eam quę Deo præstatur: quod etiam atque etiam absurdum foret. Proinde vtriusque sexus apostatæ, qui fidem Christo datam fallentes, nouos non dicam sponsos, sed

Esa. 56.

concubinos

concubinos concubináſve ſibi aſciſcunt, iuſta ratione ſacrilegij reatu arguuntur. Hoc nobiſcum ſenſit (quanquam Æthnicus atque idolorum cultor) Domitianus Romanorum Imperator: qui Corneliam Veſtalium maximam viuam terra defodi iuſsit, propter admiſſum inceſtum: ſtupratores verò illius in Comitio virgis cedi vſque ad mortem curauit. Non eſt igitur quod tenebriones noſtri temporis pudicitiæ & caſtitatis oſores, & impuri Antichriſti præcurſores, Heluidij veteris impietatis magiſtri, comměta iamiam ſepulta, & rationibus euidentiſsimis à beato Hieronymo cófutata ab inferis reuocent: & intantum blandiantur nuptiis, vt ſcelus exiſtiment virginem eſſe. Helias virgo erat, Heliſeus virgo, Sybillæ virgines, Athenienſes atque Romanorum Myſtæ virgines: Ioannes baptiſta virgo, & Hieremias in vtero ſanctificatus captiuitate propinqua vxorem capere prohibetur: & adhuc iudicatur ſceleſta virginitas? Immo verò (inquit Hieronymus) tãtum diſcriminis, excellentiæ atque dignitatis eſt inter nuptias & virginitatem, quantum inter non peccare & benefacere. Non códemnamus

Sueton. in Domitia.

Hierony. contra Iouinianum lib. 1.

(ait)nuptias, ſed ita illas recipimus,vt virginitatem quæ de nuptiis naſcitur, præferamus. Nunquid argentum non erit argentum,ſi aurum argento precioſius? aut arboris & ſegetis contumelia eſt, ſi radici & foliis, culmo & ariſtis poma præferuntur & fructus? quemadmodum enim poma ex arbore,& frumentum è ſtipula; ita virginitas è nuptiis. Quibus ſi nõ præcelleret, núquam Matthæus apoſtolus Iphigeniam Ægippi Æthiopum regis filiam, Chriſti ſponſam ab Hyrtaci connubio retraxiſſet: nunquam illa quæ Apoſtoli conſilio vſa, in ſuo corpore cócupiſcentiæ ardores extinxerat,cum ſocio virginum collegio materialibus flammis erepta fuiſſet, incenſa tyranni petulantis regia. Quid hîc Dariam virginẽ,Martham, Petronillam, Druſillam, Margaretã, Luciam Siracuſanam, Columbam Senonenſem,Teclam,Agnetem,Barbaram, Agatham,Martinam,Hyrenem,Catarinam, & alias prope innumeras memorem? quarum integritas Dei munere variis ac mirabilibus modis protecta defenſáque fuit:adeo vt ignes,leones,vrſi, atque ipſa lupanarium penetralia pudoris virginei reuerentia,non ſolùm illis parcerent,ſed

rent,sed & earundem pudicitiam tutarentur: accedentibus plerunque angelorum (qui & ipsi virgines sunt, & casti virginũ amatores) præsidiis. Quibus exẽplis tyrãnis atque sapientibus huius mundi facile innotuit virginitatẽ Deo imprimis charã esse,& castimoniæ studia illi supramodũ probari. Qui cum in cœlesti patria & regia sua, nuptiarum fœdera non admittat, virginibus solis summæ celebritatis canticum veluti prærogatiua quadam reseruauit. Nemo (inquit Iohannes) poterat dicere canticum,nisi illa centum quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati:virgines enim sunt. Neque verò hìc mihi cum hæreticis conuenit, neque adducar vnquam vt credam in nuptiis minus esse turbarum atq; afflictionis, quàm in sancto cœlibatus proposito: ob quod lapidis nomine nobis censeatur castitas,ac panis dulcedine matrimonium: Apostolo reclamante,ac dicente de coniugibus: Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Cui subscribens Hierony. to. 3. ad Heluidium: Idẽ tu putas esse diebus ac noctibus vacare orationi & ieiuniis libere?

Apocal.14 *1.Cor.7.* *Hierony.*

atque ad mariti aduẽtum expolire faciem, gressum frangere, simulare blãditias? Virgo sancta hoc agit, vt turpior hominibus appareat, & naturæ bonũ infuscet iniuria: omnis enim gloria eius ab intus: exterius nigra atq; despecta, sed intrinsecus sponso cui se probauit, formosa parens. Quæ autem viro alligata est, ad speculum pingitur stibio ac cerusa: & in contumeliam artificis conatur pulchrior esse quàm nata est. Inde infantes garriunt, familia perstrepit, liberi ab osculis & ab ore pẽdent, cõputantur sumptus, impendia præparantur: hinc coquorum textricúmque murmura, nunciatur interim vir cum sociis venisse, illa ad hirundinis modum lustrat vniuersa penetralia: si thorus rigeat, si pauimenta verrerint, si ornata sint pocula, si prãdium bene decentérque paratum. Dic mihi quæso inter ista vbi sit, aut quomodo esse posit Dei cogitatio? Et hæ fœlices domus. Cęterùm vbi tympana sonant, tibia clamitat, lyra garrit, cimbalum concrepat, quis ibi Dei timor? Parasitus in contumeliis gloriatur, ingrediuntur expolitæ libidinum victimæ, & tenuitate vestium nudæ impudicis lasciuientum oculis ingeruntur. His

Psalm. 44

infœlix

infelix vxor, aut lætatur, & perit: aut offenditur, & cruciatur: marito in iram & contumeliam excandeſcente atque inſaniente, & repudia animo meditante. Hæ certè ſunt coniugatorum non delitiæ, ſed ſpinæ: hi non delitiarum (ſicut impudenter ementiuntur maligni) panes ſunt, ſed præduri ærumnarum lapides. Cõtra quos beatæ caſtitatis laudem atque iucũditatem iis paucis verſibus graphicè admodum nobis explicuit Naumachius:

Pulchrum ſanè eſt corpus habere caſtum, indomitámque manere *Naumachius.*
Virginem: & puris cogitationibus perpetuò gaudere,
Nec onus laborioſa circa ilia ferentem,
Neque tremẽtẽ ſuſpirioſas Lucinæ parturigines:
Sed permanere quaſi reginam inter mulieres,
Splendidũ animæ oculum ad illã vitã emittẽdo,
In qua glorioſæ & veræ ſunt nuptiæ: vbi concupita
Diuini verbi lumine plenas meditationes parit.

Iis itaque ponderatis, ô ſponſa Chriſti, recognoſce ſtatus conditioniſque tuæ excellentiam: nec te iſtis lenonum lenarúmque & apoſtatarum fugitiuorum ſuſurris vel clamoribus abduci ſeducíque permit-

tas: ducunt enim ad morté & præcipitium barathri eorum greſſus. Te regis cæleſti ſponſam de ſummo dignitatis gradu ad ſcorti vilitatem traducere volunt. Et precium ſcorti (autore Sapiente) nó eſt vnius panis. Miſerrima nimirùm erit commutatio, ſi de ſponſa Dei efficiaris proſtibulum & mancipium diaboli. Ne acquieſcas malignis. Quin potius Nazianzeni hortatu ſpóſum tuum cœleſtem ſemper glorifica. Mundum & mundana omnia pedibus calcans, cóſectare animo Chriſtum aſcendentem in cœlum. & in monte ſaluum te fac, ad Sodomam ne reſpexeris, ne infatuata & corde euaneſcés, in ſalis fatui ſtatuam obdureſcas. Non nimium te carnis fragilis perterreat natura: nec tamen nimium tibi confidas, ne aliquando deficias. Scintilla accendit thalamum, aqua verò flammam extinguit. Dei timor te ſolidet, ieiunium te attenuet. Vigiliæ téporariæ, lachrymæ, ſtrati durities, amor totus ad Deum ritè ordinatus, & qui omne deſiderium à ſupernis alienum ſopiat. Veſté tuam ſordidam, ac comam ſqualidam pluſquam margaritas aut ornatum veneror ſericum. Pulcher flos eſt verecundia, & ornamentum non mediocre

rego. Nazianze. o- t. 29.

mediocre,abſtinentię pallor. Virorũ aſpectum fuge: & ſi fas eſt, caſtorum quoque: ne forſan vulnereris,vel ipſa vulneres. Oculũ pro oculo ne reddito: nec ſermonem connectito ſermoni. Non gena genis audaciam tribuat. Sed & hoc audi virgo, nequaquam illi qui præeſt cohabita, cùm Chriſtum habeas ſponſum,qui ob puritatem tuam zelotypus exiſtit, gloriam ſuam alteri dari nõ permittit. Hæc ille quæ ſummatim explicant voluntatem ſponſi illius cæleſtis,te ad ſui amorẽ benignè per prophetam inuitãtis: Audi filia,& vide, & inclina aurem tuam,& obliuiſcere populum tuum,& domum patris tui,& concupiſcet Rex decorem tuum. Virginalis pudicitiæ eſt cogitare quæ Dei ſunt, quomodo placeat Deo,regnum mundi,ornatúmque ſeculi contemnere,hominum gratiam negligere, ſibi autem perſuadere ſatis eſſe, ſi regina regi placeat ſuo. Neque verò temeritatis opus eſt(vt comminiſcitur impietas) ſed gratitudinis & exuberantis in Deum pietatis,cùm homo ſeſe voto & iureiurando ad opera conſilij & perfectionis obligat,commutans libertatem carnis in neceſſitatem ſalutis. Quinimo hoc religionis genus *Pſalm. 44*

nus ſacrificij pulcherrimi formam retinet, quo homo ſeſe totum Deo offert, & conſecrat in odorem ſuauitatis, moriens hîc ſibi & mundo, vt fœlicius Chriſto & Deo viuat. Hanc calumniam iampridem reſoluit propheta & rex ſanctiſsimus Dauid,
Pſal. 117. cùm ait: Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ, qui proculdubio nunquam ſuper ſalutare ſtatutum iuraſſet, ſi vouere, & ſeſe quoquomodo obligatiorem Deo reddere temerarium eſſet: alioqui nec hominibus quicquam promittere, iuraréve liceret, quandoquidem ipſo polliciti iuramento, vel etiam nudo promiſſo in licitis & honeſtis, neceſsitatem exonerãdæ fidei ſibi quiſque conſtituit: atque ſuperaddit ad ſalutem neceſſariam.

Quod autem ad cordis compunctionem & cætera pœnalia ſatiſfactionis opera pertinet, nihil aut certè minimũ momenti habet aduerſariorum ratio. Nam tametſi nos redemerit & nobis ſatiſfecerit Chriſtus: non poſſumus tamen aliter in ſatiſfactionis huius participium communicationémque venire, quàm eidem compatiendo & commoriendo: quandoquidem & Chriſtus ipſe Apoſtolos ad Euangelij, mu

nus

nus delegans, eisdem præcepit vt pœnitẽtiam prædicarent, & ipse testimonio Marci suis concionibus ad populum eandem vnicè commẽdauit. Postquàm traditus est Iohannes (inquit ille) venit Iesus in Galileam prædicans Euangelium regni Dei, & dicẽs, Quoniam adimpletum est tempus, & appropinquabit regnum Dei, Pœnitemini & credite Euãgelio. Et Petrus Act. 2. Iudæis corde compunctis propter damnationem Christi interrogantibus, quid facto opus esset ad salutem consequendam? pœnitentiam (inquit) àgite & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine domini Iesu Christi, in remißionem peccatorum vestrorum. Ad hæc Iohannes in sua Apocalypsi Episcopum Ephesinum iis verbis ad pœnitentiam inuitat: Memor esto vnde excideris & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sinautem veniam tibi cito & tollam candelabrum tuum de manu tua, nisi pœnitentiam egeris. Istud ipsum multò euidentius nobis explanat Diuus Iacobus in Canonica. Emũdate manus peccatores & purificate corda duplices animo. Miseri estote & lugete & plorate: Risus vester in luctum conuertatur & gaudium in mœrorem

Marci 1.

Act. 2.

Apoc. 2.

Iacobi 4.

rorem. Hæc eſt illa crux quam nobis idem propoſuit Chriſtus poſt ſe portandam, inquiens: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me. Hæc eſt ſancta ac pietatis plena violentia, in qua nobis à diebus Iohannis proponitur, Rapiẽdum regnũ cœlorum: quam etiamnum lubenti animo complexus Paulus ait. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans: ſed caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo: ne fortè cum aliis prędicauerim, ipſe reprobus efficiar. Neq; enim vlla alia ratione, melius carnem ſpiritui rebellem domare poſſumus, quàm iis pœnitentiæ atque abſtinentiæ (vt tuo verbo vtar) lapidibus. His olim conſiliis Hieronymus, Benedictus, Franciſcus & reliqua anachoritarum turba, laſciuientis carnis petulantiam compeſcebant: modo ſpinarum aculeis, modo niue & rigore glaciali, modo flagellis, inedia, cilicio, duris lapidũ ictibus, & ſimilibus quæ pietatis ſtudium ſuggerebat ad id vtentes. Quidam digitum in lucerna adurendo periclitantẽ pudicitiam ſeruauit: & ignem igne ſuffocauit. Monebatur Paula (autore Hieron.) vt

[Margin: Matth. 11.]

[Margin: Hierony. in epitaphio Paulæ.]

vt parceret oculis & eos seruaret Euangelicæ lectioni: quæ respondit. Turpanda est facies quam contra Dei præceptum purpurisso, cerusa & stibio sæpe depinxi: affligendū corpus quod multis sæpe vacauit delitiis, Longus risus, perpeti compensandus est luctu: Mollia lintheamina & serica pręciosissima, asperitate cilicij commutanda: quę viro & seculo placui, nūc Christo placere desidero. Idem propemodum prius fecerat beata illa peccatrix: quæ fletibus Domini pedes rigando, & capillis capitis sui detergendo, nouo officij atque pietatis genere, peccatorum quoque suorū maculas abstersit. Non sunt itaque (sicut comminiscūtur pseudoapostoli) hæc diffidentię opera, sed prudentiæ ac iustitię, quibus reatus nostros in pręsenti seculo hoc modo diluentes & punientes, vindices domini scutiras præueniendo, iudicij diuini seueritatem euadimus. Cuius examinis fructus senserat Apostolus cum ait: Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique *1.Cor.11* iudicaremur. His quondam modis prolōgata regis Ezechię vita: Iis exterminatio domus cruenti Achab prorogata, iis Niniues prohibita subuersio: quorum defectu immis-

immiſſum fuiſſe terris aquarũ diluuium, & Penthapolim igne & ſulphure defluxiſſe ſcripturis conſtat. Itaque prophetico ſuaſu, labori aſſueſcendum ac durandum eſt nobis, auréſque noſtras ſpinis tribulationum ſepire oportet: ne nos Syrenũ cantus voluptatúmque ſeculi blandimenta in mortem corporis atque animę protrahãt.

Mantua. *Sæpius à placitis mens eſt arcenda, diúque*
Seruitio duranda graui: nam prona ſequáxque
In peiora ruit: niſi lora retraxerit vſus.
Aſt vbi iam legis patiens, aſſuetáque vinclis,
Seſſori parere poteſt, quo iuſſeris ibit:
Tunc vbi tempus erit caſu cum triſtis acerbo
Sors aderit, fert æquales rationis habenas.
Antè negat, velut indomita ceruice iuuencus:
Aut ſternacis equi ſoboles animoſa, priuſquam
Impoſito ſcierit greſſum glomerare magiſtro:
Ars vbi poſſeſſam mentem complexa ſubegit,
Quo virtus, quo ſancta vocant oracula, vertet.
Nam neque tũc labor eſt duros tolerare labores.

Chriſtus ſuis proponit crucem, perſecutionem, irriſiones, opprobria, mortes, infamiã, exilia, & cũcta id genus: Et tu Chriſtianus de grege, ſed non in grege, pro iis omnibus ſuades amplectendum voluptatem & vitę iucũditatem? Heu quàm diſsimiles

miles voces:abnega temetipſum:tolle crucem tuam, ac ſequere me:& voluptatibus indulge,ventrẽ adora,exoſculare brachiũ, imple delitiis quibuſcunque animum. Suſpectam (vt verum fatear) habeo iſthanc nouam atque inauditam doctrinam. Non te audio . Audiam potius quid loquatur in me dominus Deus, quàm quid loquatur in te diabolus. Deo potius quàm hominibus parendum. Sequar Prophetę cõſilium. Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Eligam viam cuius principia quidẽ ardua: & difficilia,ſed nouiſsima perducunt ad paradiſi delitias. A viis veſtris (quę tametſi mundo & hominibus rectę videãtur, nouiſsima tamen earum ducunt ad mortem)quaſi ab angue morſus pedem referam. Verùm quando lapidei atque dementati & ſaxei homines, nobis virtutis & ſalutis opera lapides faciunt,ne crucis dominicę ignominiam patiantur, oſtendamus quęſo,nõ vſqueadeo laborioſam eſſe virtutem,quin ſua ſolatia habeat,haud ſcio ſi non etiam plura,veriora,& maiora,quàm omnes mundi illecebrę adferre poſſunt. Atque primùm hîc mihi expande quantum oblictamenti prę

Pſal.16.

se ferat animus sibi bene conscius: qui nullo syndereseos flagello, intus torquetur: sed summa in Deum & proximum charitate dilatatur: non minus in tribulationibus & cõtumeliis quas pro Christi nomine patitur gaudẽs, quàm cũ cœlestia dona & spiritussancti charismata percipit. Qua ratione & ipsi principes Ecclesiæ Apostoli, post verbera, ibant gaudentes à conspectu consilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu cõtumeliam pati. Profer (si potes) ex tua Babilone delitias & voluptatem huic similem. Voluptatem dico quę nec tormentorum acerbitate, nec ipso mortis horrore minui queat. Secura mens, inquit Sapiens, quasi iuge cõuiuium. cum ex opposito nihil minus quietum stabile, irrequietius instabiliúsve dari possit animo sibi malè conscio. Iussit enim Dominus & ita est (Augustino teste) vt omnis inordinatus affectus sibi ipsi pœna sit: & iamiam secum habeat ac secum quocũque pergat suum infernum trahat, sicut & testudo domum qua tegitur. Vbi enim cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meũ, certè si sustinuero, infernus domus mea est: & in tenebris lectulus meus.

Sic Adam,

...ct. *Prouerb. 15.* *Augu. lib. confess.*

Sic Adam, Cayn, & Lamech, à propria cōſcientia redarguti, ſeſe abſcondunt: & trepidantes à Dei iudicio formidant: Sic fratres Ioſeph coniurationis præteritæ recordatio pluries conſtrinxit. Sic ſceleſti & facinoroſi omnes ad cuiuſlibet occurſum pauent, ac prope exanimantur, fulgur è vitro trepidantes, & contremiſcentes. Hæc ſi quidem eſt peccati cōſuetudo, vt priuſquā fiat, mentem obtenebret: poſtquam autem ad opus ipſum peruenit, manifeſtè ſuā nobis abſurditatem mōſtret, qua torqueatur animus & breuis illa voluptas continuò menti dolorem ingerat. Hoc cum Philoſophis ſenſerunt veteres Poëtę. Ille maximè qui dicebat:

Pœnitet. ô ſiquid miſerorum creditur vlli, *Ouidius de Ponto.*
Pœnitet: & facto torquere ipſe meo.
Cúmque ſit exiliū, magis eſt mihi culpa dolori:
Eſtque pati pœnam quàm meruiſſe minus.
Mors faciet certè ne ſim cùm venerit, exul:
Ne non peccarim mors quoque non faciet.

In quam ſententiam Satyrographus. *Iuuenal. Satyr.*

Exemplo quodcunque malo committitur, ipſi
Diſplicet autori. prima eſt hæc vltio, quòd ſe
Iudice nemo nocens abſoluitur: improba quāuis
Gratia prætoris fallacis vicerit vrnam.

C Et

Et paucis interiectis:

-- Cur tamen hos tu
Euasisse putes quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cedit:
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Pœna tamen vehemens, & multo sæuior illis
Quas & Ceditius grauis inuenit, & Rhadamanthus,
Nocte diéque suum gestare in corpore testem.

Vnde manifestum cuilibet euadit sicut nihil est quod vsqueadeo homines ad virtutem capessendam excitare debet, quàm ipsa virtutis dignitas atque honestas: Ita nihil à vitiis tantū retrahere debere, quàm ipsam vitiorum turpitudinem: & eam quę illis est annexa mordentis conscientię torturam. Proinde non hîc nobis obtendat lapideus & obduratus animus, vt de lapidibus pœnitentiæ faciamus illecebrosæ voluptatis panes aut delitiarum placentas: quin potius ipsi de mendaciorum suorum furfuracèis panibus, per resipiscentiam & mentis compunctionem redeāt ad panem vitæ & intellectus sinceri: recognoscentes nobiscum Deum iustum perinde ac misericordem: & liberè profitentes iuxta saluatoris pronunciatum, quia non in solo pane

ne viuit homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.

TENTATIO SECVNDA quæ eſt Superbiæ & Præſumptionis contra appetitum rationalem. Cap. 3.

REPVLSA retuſáque primi congreſſus acie, inſtaurat callidus hoſtis pugnam, & alia parte inſultás ſcripturæ quoque ac verbi Dei quo antea eliſus fuerat gladium, ſed ferruginatum ſibi accingit conflictum integraturus. Si filius Dei es *Matth. 4.* (inquit Chriſto aſſumpto & poſito ſuper pinnam templi) mitte te deorſum: Scriptũ eſt enim, angelis ſuis Deus mãdauit de te, *Pſal. 90.* & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ad quem modũ hæretici & Pſeudoprophetæ noſtri temporis, miſeros & nimium credulos homines deludere ſolent, manibus pedibúſque attollentes rationalis creaturę dignitatem: atque immẽſum Dei erga genus noſtrum amorem: de iuſtitia verò, & peccatorum vltrice vindicta, ne verbum quidẽ vllum

faciunt. Quo vanitatis ſtudio, huc vſque progreditur eorum impudentia, vt hominibus ſuggerant non iam illos fore Deo ſimiles, more ſerpentis illius antiqui: ſed ipſiſsimos Deos eſſe: & diaboli malitiã tranſgreſsi, Deos nobis eſurientes & famelicos faciunt: Idque ſolius fidei in mediatorem Chriſtũ beneficio. Hîc nobis turgidis inflatíſque buccis & grandiloquentia plusquàm Platonica, ad confirmationem ſui propoſiti, exquiſita elaboratáq; induſtria ſcripturarum cumulant autoritates: in iis veluti ſuę prauitatis Achillem conſtituentes. Hîc magno ſupercilio Paulum catholicis obiectant variis locis de fidei & pro-

Roma.3. miſsionis lege differentem. Ad Roma. 3. Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum: non eſt enim diſtinctio: cum omnes peccauerint & egeant gloria Dei. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionẽ quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem poſuit Deus propitiatorem per fidẽ in ſanguine ipſius,

Roma.4. &c. Rom. 4. Arbitramur hominem per fidem iuſtificari ſine operibus legis, &c. Nõ enim per legem Abrahæ promiſsio facta eſt, vt hæres eſſet mundi ſed per iuſtitiam

fidei:

fidei: Si enim qui ex lege hæredes ſunt, exinanita eſt fides: abolita eſt promiſsio, &c. Item ad Galat. 3. Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Non eſt autem hoc ſcriptũ propter ipſum tantùm, ſed propter nos, quibus reputabitur ad iuſtitiam credentibus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum dominũ noſtrum à mortuis. Idem Apoſtolus ſpiritus vitam ſalutémque noſtram in fide collocat dicens. Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſeipſum pro me. Nó abiicio gratiam Dei. Cui prorſus aſtipulatur vox Chriſti Ioh. 7. Qui credit in me ſicut dicit ſcriptura, flumina fluent de vẽtre eius aquæ viuæ. Quo loco etiã ait: Omnia poſsibilia ſunt credẽti. Ad hęc per fidem Chriſto inſerimur, & nihil dãnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto: maximè cum iuxta vulgatam parœmiam, Sola fides ad ſalutem ſufficiat. Iis & ſimilibus argumentorum ignauorum technis, concludunt vaniloqui homines ſufficere ad noſtram ſalutem nudam fidem, citra vllius operis adminiculũ: ac proinde, Opera fidem conſequentia, Orationes, ſuffragia ſanctorum, oblationes, ſacrificia, atque ſa-

Galat. 3. *Galat. 2.* *Iohan. 7.* *Rom. 8.*

cramenta Ecclesiastica superuacanea esse: vtpote sine quibus ad optatam metam sola intercedente fidei virtute peruenire valeamus. Vnde consequenter inferunt ordines sacros, Vota monastica, velationes virginum, Sacerdotum cõtinentiam, Altariũ consecrationes, Ornatus templorũ, atque adeo sanctas Diuorum imagines rem esse friuolam, & certa gentilitatis antiquæ vestigia. Purgatoriam expiationem nullam esse à sanguine Christi pro peccatoribus, semel effusi. Lymbũ & pœnas vltrices inferorum, laruas quasdam esse ac puerorum territamenta. Hic est eorum error paruus vtique (vt putant multi) in principio, sed certè magnus in fine. Intantũ vt ipsis quoque defensoribus ruborem adferre queat. Viden' studiose Lector, hoc longo fidei procemio hominem quasi terra à diabolis istis terrestribus assumptum, & supra pinnaculum templi, immo verò supra thronũ Dei positum, si vis credere eorũ impietati? An verò etiam non audis tentatorem in eis dicentem? Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, &c. Quid enim aliud quærũt aut sibi volunt ista? Adoptatus es filius Dei, atque adeo cœli hæres per

fidem

fidem constitutus. Nihil damnationis credentibus nihílque illis impossibile: Cæteris igitur salutis quærendæ mediis quæ tibi vulgo proponuntur, repudiatis ac spretis crede, simplicitati Euangelicæ: atque in saluificam fidem, plenam integrámque salutis tuæ fiduciam reiice. An non hoc est dicere, Mitte te deorsum, & tuæ beatitudinis euentum prorsus à Deo expecta? Nec de tuo quicquam conferas: Immo verò si vis Deo vocanti trahentíque obnitere, seruata semper fide in ipsum quo sic in te magis clarescat & commendetur ineffabilis eius bonitas. O Dementiam! O cæcitatem! O commentum non mimicum, sed planè dæmonicũ. Parricidiũ scilicet parricidio expiabitur: Superbiam superbia elides: & ad impetrandam creatoris gratiam, tabidum os in blasphemiam leuabis? hoc est mala quàm plurima facies, vt inde eueniant bona.

O cæcas hominum mentes, & cælestium inanes! *Persius.*

Hanc vestram vesaniam, iam olim præuiderat, spiritusancto reuelante Esaias propheta, qui sic in vos excanduit. Væ qui dicitis malum bonũ, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: *Esa. 5.*

ponentes amarũ in dulce, & dulce in amarum. Væ qui ſapiẽtes eſtis in oculis veſtris, & corã vobiſmetipſis prudentes. Quæ omnia haud dubiè facitis, cùm vos ſpiritu-ſancto Dei illuſtratos atque edoctos mentientes, præſumptionem & temerariam fiduciam, viuæ fidei & pietati in Deũ æquatis: Cathecisſmum & neſcio quam furtiuã inſtitutionem baptiſmo fidelium præfertis: Veritatem ſacramentorum abnegãtes, ſacramentorum caſſas & futiles vmbras exoſculamini: cœnam execrabilem pro ſacro de menſa Chriſti epulo vſurpatis: Sacrilegia caſtitati, & virginali pudicitiæ antefertis: & plurima iis ſimilia religioni & veterum orthodoxorũmque patrum ſanctitati aduerſa exaggeratis: in quibus (ita me Deus amet) typo perquàm expreſſo omnibus ſcholæ veſtræ tyronibus dicitis: Mitte te deorſum.

QVA RATIONE ELIdatur hic ſecundæ tentationis inſultus. Cap. 4.

Nunc



VNC videndũ eſt qua ratione retundi repercutíque poſsit hic arcuatus ſcorpionis ictꝰ: & quia verbo ſcripturæ innititur, ſcriptura excribrandus confutandúſq; erit: atque imprimis clipeo Christi domini noſtri auertendus: cui cùm Satanas ſubuentionis ac præſidij angelorum prætextu præcipitium ſuaderet, conſtanter reſpondit: Scriptum eſt rurſum: Non tentabis dominũ Deum tuum: nobis opidoquam inſinuans ſcripturæ ambiguæ intellectum ex alia ſcriptura clariore petẽdum eſſe. Vbi principio animaduertendum occurrit ibi reuera tentationem Dei eſſe, vbi mediis aliis ſeſe offerentibus experimentũ virtutis diuinæ quæritur. Patet via per gradus deſcendendi ex alto ac eminenti tabulato, & præcipitium eligis? Deum tentas. Eſt nauigij copia, qua poſsis in fluminis ripam tranſvehi, & contempto nauigio, vado vis tranſire, aut cum Chriſto & Petro ſicco pede ſuper aquas ambulare, vel cum Helia & Heliſeo per Iordanis alueum diuiſis aquis iter pandere? experimẽtum virtutis

tutis Dei citra necesſitatem efflagitas. Vis item ſaluus fieri, & propoſitis tot & tantis gloriæ æternæ conſequendæ adminiculis, te laceræ atque hiantis tuæ fidei nauiculæ credis? temeritatis ac præſumptionis reus es. Deum tentas. Deo cōtra ius & fas (quē-admodum aliquādo incredulus Thomas) vis legē præſcribere: qui cum te vno atque altero, imò verò quàmplurimis mediis ſaluare velit, nouum tamen modum ac medium illi pro arbitrio ponis. Et quis (niſi demens) fluuio merſus homine, ad ſui liberationem properante, contum potius quàm funem vel brachium contumaciter ſibi dari poſcat? Et ego abiectiſsimus terræ vermiculus, omnipotentem Deum obſtinatè premam, vt me per fidē ſaluet: qui mihi tot vitæ ac ſalutis remedia donauit: & inter ea fidem nō illam ignauam quæ pro tēdicula mihi obiicitur, verùm illam quæ per charitatem operatur? Non faciam. Diuitias bonitatis & clementiæ diuinæ non aſpernabor: omnem Dei benedictionem, omnia ſpiritusſancti chariſmata, ſacramēta omnia, & ſacrificia ſalutis ſumma reuerentia, ſummóq; honore complectar. Miſericordiæ denique ac pietatis operibus ſtudio-

ſtudioſè quandiu viuā inſtabo, vſqueadeo vt nec cadentem proximi aſinum erigere, nec cereolis diuos illuſtrare, nec floribus, herbis, arborúmque ramuſculis altaria & templi pauimenta ornare à me & omni viro Chriſtiano alienum putem. Neque verecundabor ſi cum ſanctiſsimo rege coram Deo vilior fiam, atque humilis in oculis meis, quo ſic Deus vidēs de excelſo cœli ſolio humilitatem ac laborem meum, ſeruuli ſui miſereatur, & deſideratam gratiam largiatur. Fidem equidem totis vlnis amplector, ſine qua vel ſi cętera omnia cōcurrant impoſsibile eſt Deo placere: Corde & animo credo ad iuſtitiam, Ore confiteor & opere implere contendo Dei mandatum ad ſalutem. Per verbum autem orationis & opus virtutis, ſpero in Deum omnium rerum creatorem, atque eius vnigenitum in tempore pro nobis de Virgine natum, paſsione atroci mortuum ac ſepultum, iamiam rediuiuum, ſedentem ad patris dexteram, cum eodem patre & ſpiritu ſancto viuificante coëternum, æqualem & conſubſtantialem. Hęc ſanctæ fidei elementa mordicus tenens, paratus ſum Deo per omnia obedire & ad imitationem redem

2. Reg. 5.

Hebr. 11.

demptoris Christi, volũtatem eius facere. Hoc mihi omnibúsque fratribus meis salutare perinde ac beatificum puto. Verùm si deest prompta in Deum obseruantia & obediendi volũtas, ac pro eis succedit pręsumptio & mandati cõtemptus, fidem sequor non Christianam, sed dæmonicam. Iacobo dicente: Dęmones credunt & contremiscunt. Atque vtinam vel fidem istam qua gloriantur fidei aduersarij haberent, Deúmque formidarent: profectò Dei gratiam, & studiosæ actionis honestatẽ, sanctorum suffragia, Orationis præsidium, Ecclesiastica sacramenta, cæteráque pietatis in Deum ac proximum officia, non ita pedibus conculcarent. quod dum grauiter pertinacitérque faciũt, nobis apertè commonstrant impietatis suæ tyrannidem, & se illius socios esse, qui neque Deum timebat, neque homines reuerebatur. Hinc est quòd non pauci huius sectæ in atheismum & Dei abnegationem corruunt: excæcat enim atque ebetat illos malitia eorum. Qui sanctuli doctiusculíque inter eos habentur, nonnullos scripturæ locos deprauãtes, sensus affectúsque sui iudiciis vsquequaque indulgent, & carnalibus desíde-

ſideriis relicta veritate vitæ, obſequuntur. Quæcunque verò citant, hallucinantes & in radiante Euangelij ſole calligantes homunculi iſti, non priuato ſenſu, ſed ſcripturarum vniformi conſenſu diiudicanda erant. Hoc eſt malorum omnium caput. Hæc peſtis morbíque præſentis origo. Errant homines (inquit Auguſt.) non ſeruãtes modum, & cum in vnam partem procliuiter ire cœperint, non reſpiciunt alia diuinæ autoritatis teſtimonia, quibus poſſint ab illa intẽtione reuocari, & in ea quæ ex vtriſque temperata eſt veritate ac moderatione conſiſtere. Non eſt Paulus ſibiipſi, vel cæteris Apoſtolis contrarius, & ſibi in omnibus cõſentiunt ſcripturæ canonicæ. Proindẽ priuſquàm temerariè de fide & operibus decerneret hæreticus, non ſolùm eas de fide aſſertiones quas contra nos citat examinare debuit, verùm & alias multò clariores atque euidentiores, quæ illas explicant: & cõtrouerſiam ambiguitatémque omnem tollũt. Producitur in medium Paulus, Qui putat iuſtificari hominem ſine operibus legis per fidẽ: Quíque aſſerit iuſtitiam ac vitam ſpiritus eſſe ex fide. Quis non recipiat ac vereatur autoritatem

To. 4. libr. de Fide & oper. cap. 1.

tatem tāti Apoſtoli, gentium doctoris vaſis electi ad portādum Chriſti nomen coram regibus ac gētibus? Verùm idem alio loco affectat in Chriſtiano fidem quæ per
Galath.5. Charitatem operatur. In Chriſto (inquit) neque circūciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides quæ per charitatem ope-
1.Cor.13. ratur. Et primæ Corinthiorum 13. Si habuero fidem omnem, ita vt montes transferam charitatam autem non habuero nihil ſum. Iis clariora multóque apertiora ſunt alia ſcripturæ teſtimonia: maximè Chriſti dicētis: Si vis ad vitā ingredi, ſerua mādata. Et adoleſcenti decalogū ex ordine recitanti, ait: hoc fac, & viues. Itē Matth. 7.
Matth.7. Nō omnis qui dicit mihi domine domine intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit volūtatē patris mei, ille intrabit in regnum cœlorū. Sed Clariſsimè omniū hoc quicquid eſt ſcrupuli reſoluit, cū ait, In ſua Canonica Iacobus, ex profeſſo iſthæc ediſſe-
Iacobi.2. rēs. Quid proderit fratres mei, ſi fidē quis dicat ſe habere, opera autē nō habeat, nunquid fides poterit ſaluare eū? Si autē fratres nudi ſint & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis, Ite in pace calefaciamini & ſaturemini, non dederitis

ritis autem eis quę necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic & fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Sed dicet quis Tu fidem habes, & ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quoniam vnus est Deus, bene facis: & dæmones credunt & contremiscunt, &c. Mox concludens subdit. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantúm. Quid istis dici potuit vel familiarius vel clarius? Verùm & hîc effugij viam sibi facere conatur impietas. Negátque epistolam illam esse Iacobi, saltem non enumerari inter canonicas scripturas. Negatura pari facilitate atque impudentia Iacobum aliquando vixisse. Sic aliquando Iudæi auaritiæ ac inuidiæ zelo accensi, Lazarum rediuiuum interficere cogitarunt, quia propter illum multi credebant in Christum, quem oderãt. Si iuxta Saluatoris parœmiam, Omnis arbor ex fructu suo cognoscitur, ac proinde fides valida & efficax ex operibus: Vt quid homines curiosuli vnius sententiæ Paulinæ (quam non intelligunt) prætextu circa fidem fluctuant, & naufragãtur? Hîc pri- *Iohan. 12.*

primùm dic mihi, ô homo inanis ac futilis blatero, qui ista disputas: Si scripturæ sibi mutuò consentiunt: Si Paulus Christo domino & Iacobo cæterísque Apostolis atque adeò sibi ipsi conspirat: qualiter sibi constare poterit, affirmans fidem sine operibus saluare, & tamen inutilé esse ac marcidam, nisi per charitatem operetur? Aliud igitur hoc loco, quem tu tanto studio ventilas, voluit Apostolus: & cõsulere cupiens Iudæorum, qui Romæ agebant, saluti: quia videbat eos legalibus cæremoniis addictiores esse, quàm legi Euangelicæ, amicè illis commonstrat intantum illas nó esse ad salutem necessarias, vt sine illis saluari quis posśit per fidem, id est Euangelii gratiam atque obseruationem. Nisi fortè dicamus Apostolum ad ampliorem fidei in Christum cõmendationem, iis verbis insinuare tantam esse illius energeiam, vt sola saluare posśit citra vllius operis accesśionem: modò tamen non desit boni operis propositum, sine quo proculdubio nemo peruenit ad vitam. Quam sententiam cum Ecclesia post Augustinum & Cyprianum confirmat Sanctus Bernardus epistola quadam ad Hugonem à sancto Victore, iis ver-

iis verbis: Inuenio non tantùm paſsionem pro nomine Chriſti,id quod ex baptiſmate deerat poſſe ſupplere, ſed etiam fidem conuerſionémque cordis: ſi fortè ad celebrãdum myſterium baptiſmi, in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt. Quantum autem valeat etiam ſine viſibili ſacramento baptiſmi, quod ait Apoſtolus, Corde *Roma.10* creditur ad iuſtitiam,ore autem confeſsio fit ad ſalutem, in illo latrone declaratum eſt. Sed tunc impletur inuiſibiliter, cùm myſterium baptiſmi non contemptus religionis,ſed articulus neceſsitatis excludit. Hęc cum Cypriano atque Auguſtino Bernardus. Nec iſta dicẽdo orthodoxi patres quicquam detraxerunt dignitati fidei,verùm eam perficere & non ocioſam infrugiferámque in nobis eſſe voluerunt,quo ſic intelligant omnes ſicut auditores, ita *Iacobi.1.* creditores verbi nõ aliter apud Deum iuſtificari poſſe, quàm ſi ſimul & factores fuerint,ſaltem voluntate propoſiti: Alioquin diebus nouiſsimis iudicium Dei fide duntaxat & non operibus fidei ac miſericordia decideretur. Cùm tamen audituri ſimus eum electis dicentem. Eſuriui,ſitiui, *Matt.25.* nudus, hoſpes, infirmus, & in carcere fui,

& miniſtrauiſtis mihi, venite poſsidete regnum vobis paratum à cōſtitutione mundi. Ac deinde reprobis triſtem ſententiam ferentem atque exprobrantem, quòd nihil iſtorum opere vel voto compleuerint. Addamus itaque lucernę fidei miſericordię oleum: quatenus ſi non coram hominibus, ſaltem corā Deo luceat lux noſtra: ne fortè cum virginibus fatuis, à cœleſtiū nuptiarum excludamur celebritate. Nec verò ſolam fidem cum charitate miſericordiáve nos amplecti decet: verùm & orationem, & ſanctorum interuētionem, ſacramenta, & reliqua quę nobis proponuntur futurę beatitudinis ſymbola. In quibus proſequendis ac frequentandis Sāctorum ſanctarúmque omnium, quorum nomina in libro vitę ſcripta ſunt, imitatione, auaros nos eſſe oportet: quo ſic nihil lucri ſpiritalis nobis depereat, & timenti-
Roma.8. bus Deum omnia cooperētur in bonum. Si quid aduerſi obrepit, non mediocre mihi pręſidium in oratione conſtituo. Perſuaſus exemplo Moſis, Helię, Sanctorúmque Prophetarum, atque Apoſtolorum qui Deo placuerunt ab origine mundi, & in tempore iracundię facti ſunt populi reconci-

conciliatio,flecto genua,manus attollo cũ oculis,ploro denique ac suspiro procidẽs ante Deum & patrem domini nostri Iesuchristi.Nec istis cõtentus sanctorum cùm viuorum tum mortuorum suffragia imploro,sequutus consilium sancti Iob. Ad aliquem sanctorum conuertere: atque insuper cognoscens ex scripto Iacobi, quod multũ valet assidua deprecatio iusti apud Deum:& quia hęc est redemptoris nostri voluntas:qui si nullus esset orationis fructus,nec ipse in oratione pernoctasset, nec vnquam sine intermissione orare pręcepisset,aut salutaris orationis formulam nobis ipse reliquisset. An verò frustrà, Iacobo,Bartholomeo, & Marthę Christi Domini hospitę centies in die repetita supplicatione, genua occalluisse putandũ est? Non credo.Nec mihi respõdeant ora impura Deum sua prouidentia,ac benignitate vltro adesse suorum necessitatibus : nos autem plerunque ignaros esse rerum nobis profuturarum. Idcirco adhęrendum Satyrographo super hac cõtẽtione dicẽti: *Iob.5.* *Iacobi 5.* *Luce 6.* *Luc.11.*

-- Si consilium vis,
Permittes ipsis expandere numinibus,quid
Conueniat nobis:rebúsque sit vtile nostris. *Iuuenal. Saty.10.*

Charior est illis homo, quàm sibi: nos animorum
Impulsu, & cæca magnáque cupidine ducti
Coniugium optamus, &c.

Ista sunt Satanæ aucupia. Nouit quidem Deus omnia, & omnibus pro sua bonitate subuenire paratus est: sed meo bono (non sua necessitate) rogari vult: quo sic inflãmer & exardescã in ei⁹ timore ac dilectione: & ex infirmitate mea illius maiestatem dimetiar ac reuerear. Nõ diffiteor me cum filiis Zebedęi, plenum ignorationis esse, & plerunque nescire quid aut quomodo petam: frequenter quoque noxia petere. Verùm, quæ est patris illius cælestis bonitas, orationis meæ defectum emendabit: & sicut pater quidem puero roganti panem, dat: gladium autem petenti, negat. Ita ille mihi (certo scio) optima quæque oranti distribuet: noxia poscenti (modò adsit animi simplicitas) in salutaria commutabit. Orationis fructum longè aliter emensus est Hierony. (atque faciunt Neochristiani) qui in hunc modum contra Pelagium scribit: Deus semper largitor, sempérque donator est. non mihi sufficit quòd semel donauit, nisi semper donauerit. Peto vt accipiam, & cùm accepero, rur-

Hierony. to. 3.

ſus peto. Auaras ſum ad accipienda beneficia Dei. Nec ille deficit in dãdo, nec ego ſatior in accipiendo. quanto plus bibero, tantò plus ſitio. hæc Hierony. de orationis fructu: quę nos etiamnum impellunt propius, atque intentiore mentis acie perſcrutari mali dæmonis artes in peſſundanda oratione. Videbat infenſiſsimus hoſtis fortiſsimum hominis præſidium aduerſus tẽtationem eſſe in oratione, Chriſto dicente: Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Ob ídque hominem exarmare volens, atque eripere de eius manibus orationem, primùm calumniari cœpit (ex dicto Chriſti hipocritarum malitiam ventilantis) orationis prolixitatem, ac repetitionẽ: cùm tamen nobis conſtet ex Euangelio, ipſum Chriſtum prolixius oraſſe, & interdum in orando pernoctaſſe, ſecundò ac tertio oraſſe, eundem ſermonem repetendo. Quæ ſi mala vituperandáque eſſent, nunquam domino gloriæ accidiſſent. Deinde Orationem vocalem, Pſalmodiam, Cantus, Symphoniámque muſicam quibuſcunque modis potuit vellicauit: abundè expertus ab antiquo iſta omnia ſibi noxia atque aduerſa eſſe. Nã & Cytharę Da-

Marci 14.

Luca 6. *Matt.* 26.

1.Reg.16. uidicæ pulſu impediebatur,ne pro libito infeſtaret Saülis animam. Nunc demum, vt nihil intẽtatum relinquat, per infideles ac perfidos tenebriones,omnem orationis tum mentalis tum vocalis vſum abrogare conatur, nobis ſubinde obiectans ſolam fidem ad ſalutem ſufficere: atque huic totos nos credere oportere·fruſtrà inniti orationibus,ſacramentis & operibus. Hi ſunt aſtus quibus miſero homini paſsim illudit diabolus,dicens:Mitte te deorſum.hæc pro oratione. De ſacramentis autem,id eſt de cœleſtibus Eccleſiæ theſauris, quis niſi planè demens ac ſtolidus illam quam complectuntur gratiam aſpernari queat? vel exiſtimare ſibi parum ad ſalutem neceſſariam? Non permittam, nec mecum æquo animo ferẽt omnes qui ſunt Chriſti, vt recutiti iſti Iudæi atque ementiti apoſtoli in obliuionis & cõtemptus corbonam illam mittant: quia precium ſanguinis eſt agni

Baptiſmus pro noſtra ſalute occiſi. Baptiſmi gratiam non modò vtilem,ſed & neceſſariam nobis ad ſalutem eſſe conſtat verbo Saluatoris. Ioann. 3. Amen amen dico vobis, niſi

Iohan. 3. quis renatus fuerit ex aqua & ſpirituſancto, non poteſt introire in regnum Dei.

quod

quod omniũ fideliũ interpretũ,atque adeo ipsius Ecclesiæ consensu, tum in adultis, tum in lactantibus & paruulis recens natis locũ habet:tametsi hîc nescio quid obmurmurent viperarum genimina,paruulos nõ esse fidei capaces, ac proinde nequicquam illis ministrari baptisma sacramentũ fidei. Aduersus quorum dementiam habemus firmissimũ propugnaculum autoritatem Ecclesiæ,quæ per spiritũsanctũ fidelissima prædicationis Christi interpres, nobis cõmonstrat haud aliter quàm circuncisio olim infantibus necdũ rationis vsum per ætatem consecutis profuit,nunc baptismũ Christianorum infantulis prodesse. Quod oppidoquàm luculenter alibi declarat eximius ille Bernardus quondam Claræ vallis àbbas. Irrident (inquit) nos hæretici quia baptizamus infantes : quid enim si infans pro se loqui non potest? pro qua vox sanguinis fratris sui Christi clamat de terra. astat nihilominus, & clamat mater Ecclesia. Quid tamen infans? nonne & ipse tibi videtur quodammodo inhiare, & de fontibus Saluatoris vociferari ad deũ,suísque vagitibus clamitare: Domine, vim patior,responde pro me. Flagitat sci-

Bernard. sermo.66. in cantic.

licet auxilium gratiæ, quia vim patitur ab origine. Ita ergo clamant hæc omnia: Sanguis fratris, fides matris, destitutio miseri, & miseria destituti. Primò pater seipsum negare non potest: pater est. Nemo hîc mihi dicat quia non habet fidẽ cui mater impertit suam, inuoluens illi quousque idoneus fiat assensu euolutam, purámque percipere. Nunquid breue est pallium, vt non posit ambos cooperire? Magna est Ecclesię fides: nunquid minor fide Chananeæ mulieris? quam constat & filiæ sufficere potuisse, & sibi. Ideóque audiit: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Nunquid minor fide illorum, qui paralyticum per tegulas demittentes animæ illi simul & corporis obtinuere salutem. De quibus scribitur: Quorum fidem vt vidit, dixit Paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata. Qui hæc credit, sibi facilè persuadet, meritò Ecclesiam non solùm paruulis baptizatis in sua fide salutem, sed etiã interfectis pro Christo sanctam coronam martyrij esse paratam censuisse. Sine fide enim non sunt qui in fidei testimoniũ baptismi gratiam perceperunt. Non inficiantur catholici sine baptismo aquæ, hominem per fidem

Matt.15. *Matth.9.* *Bernard. epist.77. in Cantic.*

fidé iuſtificari & ſaluari poſſe, modò abſit contemptus ſacramenti. Inuenio (inquit Cyprianus) nó tantùm paſsionem pro nomine Chriſti quod ex baptiſmate deerat poſſe ſupplere, ſed etiam fidem, cóuerſionémque cordis: ſi fortè ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporú ſuccuri non poteſt. Quod idé dicere haud dubiè licet & ex pietatis operib9 baptiſmú conſequentibus, prout ſuperius diximus.

De ſacramento Euchariſtię, quin & ipſum authorem gratię, & gratiam ſalutarem complectatur, nullus relinquitur ambigendi locus, poſt Chriſtum dicentem. Amen amen dico vobis niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meã carnem & bibit meũ ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Cuius Sacramenti veritas, & illud conficiendi in ſacerdotibus Dei miniſtris poteſtas, ſatis ſupérque declaratur Euangelio, iis verbis. Hóc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Et hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum: hoc facite

Euchariſti *Iohan.6.* *Matth.26* *Marci 14* *Luca 22.*

1.Cor.11. te quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Post quę verba, valeant atque abeant, εἰς κοράκυς, omnia infidelitatis commenta. Conticescant & abscindantur viperarum linguę, usqueadhuc Ecclesię calcaneo insidiantes & blasphemo ore de tanto Dei munere simplicem passionis Christi, veluti refricatam atque innouatam in animis nostris memoriam, facientes. Ipsam verò corporis Christi veritatem ac energeiam abnegantes. Atque insuper pro veris & legitimis sacrosanctę huius συνάξεως nominibus, sceleratas voces, nunc cœnę simplicis, nunc panis benedicti supponentes, vt alia blasphemię atque impietatis commenta reticeam: quæ sui horrore pias aures haud dubiè turbarent. O Serpens antique, Maledicta terra nonmodo in opere, sed etiã in sermone tuo: fascinauit Satanas mẽtis tuæ oculos, qui hoc cœleste fidei mysterium perpendere nequeunt: & cor tuum obduratum est, ne verbis Dei, tam potẽtibus tam claris atque apertis credas. Quid mihi hoc loco frustrà laboras & operam ludis in disquirendis imaginũ significationúmque rationibus? cùm liquidò omnibus pateat verba Dei,

non

non modò more nostrorum significatiua esse, verumetiam illius esse effectiua quod significant. Ipsi dixit & facta sunt (inquit Propheta) Ipse mandauit & creata sunt. *Psalm. 23.* Verbo vtique Dei creata sunt, quæ prorsus non erant, Verbo Dei curati languentes, cæci illuminati, mortui ad vitam reuocati, aqua in vinum delicatum mutata, & tu vir obduratus corde, atque incircuncisus labiis eodem verbo diffiteris panem ac vinum in corpus & sanguinē Christi conuerti posse. Respōdeat hîc mihi Caluinus aut Sacramentarius quiuis: Si nondum instituta essent hæc sacratiss. mysteria, ac Deus illa statuere disponeret, iuxta fidem ac traditionem hactenus ab Ecclesia vsurpatam: quibus quæso verbis facilius & ad rem accommodatius illorum vim atque efficaciam exprimere posit, quàm iis ipsis quibus illa nobis instituta reliquit? Et tu adhuc incredulus permanes verbo Dei? portabis, peccatum tuum. Quam tu mihi de barathro, reuocas Iudæorum cœnam, Sanctæ quadragesimæ tempus, in esu agni Paschalis præueniens, cœna Christi non est, sed diaboli. Et ad verbum Apostoli. Non possumus pariter mensæ *1. Cor. 10.*

mensæ Christi, & dæmoniorum participes fieri, ideóque cœnam tuam non recipimus. Hæc de duobus primariis & capitalibus Ecclesiæ sacramentis obiter dicta sunt. Reliqua verò quæ decentiæ & commoditatis, nó autem necessitatis ad vniuscuiusque saluté esse creduntur, passim repudiat impietas: ne quid scilicet personatæ ementitéque fidei detrahatur dignitatis. Veruntamen illa apertius loquuntur & cófirmant cum scripturis sacris veterum patrum testimonia: quàm vt calumnia vlla Lutheri, Caluini, ac fatalitij Genebensis ab eorum cultu & reuerétia abduci queat, qui mediocriter in religione promouit. De iis illi cum efficaciam gratiæ, tum Sacramenti nomen pręripere conati. Ordinum distinctioné, quá Ecclesia obseruat astruunt esse ambitionis inuentum, ad deprędandá plebeculam, sicut & Sacrificium missę, quam incantationem vocant. Confessionem & cófirmationé pręstigias esse magicas & mimicas obganniunt, Episcopos nó recipiunt, Sacerdotium etiá pueris & mulieribus cómunicát. Matrimonium quàm minimo distingunt à fornicatione. Immo verò vno adulterio excepto, nullam fornicatio-

cationem agnoſcunt, ſi congredientium adſit conſenſus, Sacri olei vnctionem nouiſsimum medicorum fomentum ac recipe(ita loquar)faciunt. Et vt vno verbo cętera claudam, nobis inſigne quoddam impietatis Chaos opinionum variarum formis in ſe reflexis faciunt: tanta eſt improbitatis & perfidiæ fœcunditas. Aduerſus quorum impudentiam proferimus principio inconcuſſam fidei Apoſtolicæ Petram, id eſt Chriſtū ſacerdotem primum, *Ordo.*
& ſummum legis Euangelicę, à patre vocatum atque electum, à ſpiritu ſancto præ participibus ſuis vnctum: vt de plenitudine eius omnes acciperemus. hic magnus Epiſcopus & paſtor animarum noſtrarum, principio Apoſtolos ſuos, ſacerdotes ſui ordinis cœna nouiſsima inſtituit, quibus & poteſtatē alios ordinandi deinceps contulit: dum ſe in cœlum recepturus, primū Eccleſiæ pontificatum Petro reſignat illi, *Iohan.21.*
tum agnorum, tum ouiū paſcuam demandans. Hinc eſt quòd Apoſtoli, Diaconos *Act.6.*
ad miniſteria Sanctæ cōmunionis creant, Act. 6. Et Paulus Timothęum diſcipulū *1.Timot.1.*
monet, Ne contemnat gratiam ſibi diuinitus datam per impoſitionem manuum preſ-

presbiterij, in quo Episcoporum eminen-
Confessio. tiam ad alios in sacerdotes ordinádos suf-
ficienter ostendit, sicut eo loco quo il-
lum admonet. Ne citò manus cuiquam
Iohan.20. imponat. Ad hæc spiritumsanctum donat
Christus suis in remissioné peccatorum.
Accipite (inquit) spiritumsanctú Quorú
remiseritis peccata, remittuntur eis: & quo
rum retinueritis, retenta erunt. Quod in-
dubiè nullo modo fieri vnquam posset, ni-
si peccatorum confessione. Vnde & sacer-
dotalis ordinis propria, atque discreta au-
toritas, & pœnitentiæ sacramentum ritè
Act.19. comprobantur, vt interim taceam, Quòd
venientes ad Iohannem Baptistam, & ad
discipulos Christi turbæ baptismum su-
scepturæ, confitebantur peccata sua.

Confirmatio Confirmationis (quã vetusti patres con-
signationem dixere) præstantiam cõmen-
dant varia scripturarum testimonia: hanc
Matt.19. mea sentétia tunc vsurpauit Christus, cùm
oblatis sibi paruulis, orans manus impo-
nebat. Quem faciendi morem exinde se-
quuti Apostoli, orantes & manus homini-
bus imponentes, dabãt spiritumsanctum.
1.Timo.4. Nam & Paulus discipulum Timotheum
admonet vt resuscitet gratiam quæ in illo
erat

erat per impoſitionem manuum ſuarum. Et ſanctus Apoſtolorum Senatus audiens Samariam recepiſſe verbum Dei, eò delegat Petrum & Ioannem: qui cùm ad eos perueniſſent, orauerũt pro ipſis (iam à Philippo Diacone baptizatis) vt acciperẽt ſpiritumſanctum. Quod deinceps manuum apoſtolicarum impoſitione ſunt cõſecuti. Rem admirabilem atque ſtupendã: ad hominis contactum diuina chariſmata hominibus infundi. Si non hîc, etiam in hominibus operaretur Deus. Iidem Apoſtoli poſt ieiunium & orationẽ imponunt manus, Paulo & Barnabæ, ac dimittunt eos in opus Euangelij ad Gentes, imperante eis Spirituſancto. Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos: Nemo igitur tam claris ac certis teſtibus ſpirituiſancto reſiſtat: néve retrahat aut increpet paruulos ad Chriſtum venientes, vt eius contactu ſanctificentur. Alioqui audient cum Apoſtolis redargutionis vocem. Sinite paruulos venire ad me, & nolite prohibere. Confirmatio non eſt quemadmodum arbitrantur maligni: ſuperſtitio, ſed Chriſti ſalutaris inſtitutio, ſuperſtitione enim quis vnquam fateretur ſpiritum-

Act. 8.

Act. 13.

tum ſanctum dari hominibus?

Matrimonium. *Gen. ſ. 1.* Matrimonij ſacramentum à principio cōditæ humanæ creaturæ ſua benedictione conſecrauit Deus. Chriſtus cōſecratam colligatámq;, per gratiam, carnis geminæ vnitatem ſoluere facinoroſum Euangelio *Matt. 19.* declarauit, inquiens. Quos Deus cōiunxit, homo non ſeparet. Paulus denique ipſam nuptiarum dignitatem celebriore tuba cōmendare volens: hoc ſacramētum (inquit) magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & Eccleſia. Idem quoque alibi Chriſtiani coniugij ſanctitatem deſcribēs, ait Virum infidelem ſanctificari per mulierem fidelem, ſicut & mulier infidelis ex viri fidelis *Hebr. 13.* connubio ſanctior redditur. Vnde omnibus liquet Honorabiles eſſe Chriſtianorum nuptias & thorum immaculatum, qui certe macula non careret, niſi hanc ſacramentalem gratiam per Sacerdotis benedictionem obtineret.

Extrema vnctio. Habet quoque ſacri olei delibutio ſuam gratiam: & Sacramenti dignitatem complectitur, vſurpata (vt credibile eſt) inſtituto Chriſti ſaluatoris, ab Apoſtolis auto- *Marci 6.* re Marco 6. cap. Exeuntes Apoſtoli prædicabant pœnitentiam, & dæmonia multa eiicie-

eiiciebant, & vngebāt oleo multos ægros, & ſanabantur. Pro eodem militat vulgatiſsima illa Iacobi fratris Domini ſententia: Infirmatur quis ex vobis, inducat preſbyteros Eccleſiæ, qui orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. Poſt quæ verba: Si quis adhuc de Sacramenti huius virtute atque efficacia animo fluctuat, illum obnixè rogo atque obſecro, percurrat oculis, & mente attéta fidelíque legat diuinas illas ſanctorū implorationes & ſupplicationes charitate multa exundantes, quæ pro infirmis fiunt, in ſacræ vnctionis miniſterio. Illius cor ſi non fuerit marmore frigidius, ac ferro durius, incaleſcet proculdubio, & mollietur intus, ad credendam atque amplexandam Eccleſiæ doctrinam de ſacramétorum virtutibus. Vides (ni fallor) ſtudioſe lector, ſeptem eccleſiaſtica ſacramenta, ſuám fidé auctoritatémq; à Chriſto Domino & eius Apoſtolis nanciſci, nec eſſe ſuperſtitionis deliria, aut ambitionis inuenta, ſicut falſo calumniātur hæretici. Quibus ſi prædicta non ſufficiunt, legāt ſcripta orthodoxorū

Iacobi.5.

patrum. Cóſiderēt vias antiquas Clemētis, magni Dionyſij, Ignatij, Irenæi, Cyrilli, Cypriani, Policarpi, Origenis, Athanaſij, Chryſoſtomi, Baſilij, Euſebij, Greg. Nazianzeni, Gennadij, Tertulliani, Hieronymi, Ambroſij, Auguſtini, Gregorij, Bedæ, Leonis, & aliorum, quorum æmulari negligentiam (ad dictum Comici) potius exoptarim, quàm illorum obſcuram & curioſitatis atque impietatis plenam diligentiam. Ante quos omnes argumentū multò validiſsimū veritatis huius habemus cum ſpirituſancto Eccleſiā, firmamētū & colūnam fidei. Cuius ſentētia de ſacramētis, luculenter innotuit quatuor cóciliis, generalibus, quorū decreta Gregorius quaſi quatuor Euāgelia exoſculatur: cóciliis itē nouiſs. Baſilienſi, Cóſtantienſi, & Tridētino: quibus dānatis ac reprobatis erroribus Iohan. Huſſ. & Iohā. Vviclef, aſſerta ſunt cóſtāter & fortiter ab iniuria vindicata, ſeptē Eccleſiæ Sacramenta. quæ non immerito quis cóferat ſeptem ſignaculis libri Vitæ, quę nemo ad plenū atque perfectū ſoluere poteſt, niſi agnus qui occiſus eſt: qui ſicut clauis Dauid (quæ claudit & nemo aperit: aperit & nemo claudit) nomen ſortitur, ita ſolus

Grego. in Regiſtro.

ſolus libri huius aperiẽdi,& ſignacula ſoluẽdi poteſtatẽ habet. Væ mihi mater mea Eccleſia,Cur me genuiſti virũ rixæ?vt hodie inter fratres meos Chriſtianos hoſtilitatẽ ingratitudinẽmq;,pluſquàm belluinã experiar,hominũ vel deſtruentũ, vel mihi auferre volentiũ hæreditatem hãc magnã, atque vberes fructus afferentẽ, quam mihi Chriſtus ſuo ſanguine acquiſiuit. Non acquieſcam impiorũ conſiliis,& fortitudine accinctus,potius mortẽ oppetã, exemplo Naboth Iezraëlitæ,quàm hãc tam preciosam hereditatẽ patrum meorum vẽditem, vel cõmutem impio Achab in ortum olerum. Immo verò tam chara & dilecta mihi erit hæc vinea, vt propter illam cæremoniarum quoque maceriam, & reliqua ad eius decorem ornatúmque faciẽtia ſtudio quàm maximo ſim obſeruaturus, iis veluti gradibus ad meliorem æternæ beatitudinis hæreditatem mihi repromiſſam approperans. Proinde faceſſant à nobis & omni anima fideli,impiæ oblocutiones & nimium curioſæ quæſtiones, contra ſanctiſsima Eccleſiæ ſacramenta:quæ nihil aliud ſunt,quàm certus quidam gloriæ ſequuturæ arabo: Contra templa templorúm-

3. Reg. 21.

rúmque ornatus,Contra agapes & miſericordię ac beneficentię opera, Contra implorationem venerationémque Sanctorũ, atque imaginum eorundem, Cótra cymiteriorum oratoriorúmque cereorũ,Chriſmatis, aquę, panis, ac fructuũ benedictiones, exequiarum ritus, votiuas peregrinationes, & conſimiles plebeculę deuotiones: quas ſi conferamus cum Synagogis, ſcholiſque nocturnis, & Cœnis hęreticorum, diem nocti, & clarum ſolis radium Cymeriis, Ægyptiis, infernalibúſque tenebris, meritò cótuliſſe iudicemur. Nihil itaque mihi perſuadebunt impietatis ſuggeſtiones. Mitte te deorſum. Committe te ſoli fidei tuę. Cętera omnia tanquam tibi ad ſalutem inutilia & oneroſa contemne. Credenti omnia poſsibilia ſunt. Iſtas eſſe mundi, carnis, & dęmoniorum tendiculas agnoſco: quas Chriſtum pręceptoré verba vitę ęternę habentem ęmulatus, hac modica voce diuerto. Scriptum eſt, non tentabis dominum Deum tuum. Paratus ſum creatori in omnibus obedire. Abſit vt ponam legé Regi ſeculorum: ſed quęcunque mandauerit illé, nulla quęſita ratione, nullo murmure aut reclamatione prom-

própto ac liberali animo exequar. Iubet? accingor ad opus: prohibet? pedẽ refero. Nihil eius iniussu tentaturus: sciens quia mihi adhęrere Deo bonum est,& ponere in domino Deo spem meã. Nihil eorum durum,peregrinúmve,aut à natura alienũ vnquam esse credam,quę ille mihi necessaria ad salutem, vel códucentia posuerit: paratus,vel patrem sepeliendum,vel vxorem ducendam, si ita iusserit relinquere. Sequar quocunque vocauerit Deus. Apud quem est fons vitę, & in cuius lumine de tenebris,& vmbra mortis ereptus beatitudinis ęternę, lumen sum aliquando visurus. Lucerna pedibus meis, erit verbum eius,& lumen semitis meis: vt per viam mãdatorum eius excurrã,cùm dilatatum fuerit cor meum,& gemina charitate inflammatum. Excurram inquam non quasi in incertum,sed ad compręhédendum illud quod mihi proponitur brauium cœleste. Cuius consequendi gratia, non modò fidem,verùm charitatem, misericordiã, iustitiam, pacem, fortitudinem cæteráque boni moris virtutes: Sacramenta item omnia cæremoniásque & iustificationes Christianas complectar: tãquam certissima in- *Psal.117.*

 stru-

ſtrumenta,ad conſequendum in præſenti ſeculo gratiam,& in futuro gloriam illam quam repromiſit Deus diligentibus ſe, Chriſto Ieſu donante, Cui honor, gloria & imperium in ſecula ſeculorum.

TENTATIO TERTIA, quæ eſt Ambitionis & Auaritiæ. Cap. 5.



SSVMIT poſtremò Satanas Chriſtum in montem excelſum valdè: vnde illi oſtentans omnia regna mundi & gloriam eorum,ait: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. Ad quem modum noſtræ tẽpeſtatis Pſeudoprophetæ, magiſtratibus ac popularibus viris, maximè autẽ ambitioſis & auaris ſuggerunt primò propriam villitatem, miſeriam, deiectionem, paſsiones, atque verſuras quibus Catholici paſsim præmũtur,deinde ex diametro proponũt vniuerſam mundi gloriam,honores, ac dignitates, Opum affluẽtiam, Connubia fœlicia, Plenam ſcripturarum intelligentiam, Liberrimam viuendi rationem, & multa iis ſimi-

Matth. 4.

ſimilia:adiecta tamen conditione ſceleratiſſ. ſi cadens adoraueris me. Hoc eſt ſi cótempta Romanæ Eccleſiæ, veterúmque patrum religione ac diſciplina, mundo & carni ſeruire voles. Sic memorant fabulæ deas olim de pulchritudine contendentes, Paridi apparuiſſe, ac Iunonem quidem, vt iudicis arbitriũ in ſe flecteret, Diuitiarum ſplendorem, Palladem ſapientiam, Venerem autem Helenæ omnium quæ in orbe erant mulierum pulcherrimæ nuptias illi pollicitam fuiſſe: quarum dulcedine illectus, corruptúſque iudex, eidem palmam pulchritudinis dedit, præmia conſecutus ſibi, Germaníſque ſuis, ac toti patriæ funeſta. Non diſsimiliter hodie viri apoſtatæ Eccleſiæ filios ab ea quam receperũt pietate diſtracturi, & ad colendum Baalin relicto vero Deo inducturi, quaſi de ſpecula altiſsima, mundum, mũdanáſque delitias oſtendentes, quę non ſunt in ſua poteſtate, promittunt. *Iudicium Paridis.*

Quid enim promittere lædit? (inquiunt) *Ouidius.*

Audaces in promittẽdo, ſed certè efrontes in negãdo. Promittunt montes & aurum: vix bene ex eorum pollicitis ſtipulas reperies.

Horat. *Parturiunt(.s.)montes,nascetur ridiculus mus.*

Si vis(inquiunt) ô miser hoc triste pau pertatis & intollerabile subiectionis iugū collo excutere, atque hinc ad nostros cōmeare,inuenies terram opimam,fluentem lacte & melle. Offendes illic qui te splendidè, & magno cum apparatu tanquam Deum quendā è cælo suscipiant,dicentes.

Iuuenal. *Tertius è cœlo cecedit Cato.*

Totius politiæ Rector quàm citissimè declaraberis. Nummos quotquot desideraueris necessarios tibi respublica suppeditabit. Vxorem pulchrā,generosam, ac bene dotatam in sinum atque amplexus tuos tradēt. Hîc quàm citissime omne genus literarum linguarúmque edisces:& quasi de fonte Parnasi nullo laboris fastidio, rerū sciētiam hauries. Libertate plena potieris, nullo repugnante vel contradicente. Byssus & purpura indumentum tuum. Cibi molles ac delicati pro putidis ouis, & fœtidis,putribúsque piscibus apponentur. Nectare & Ambrosia omni tempore perfrueris:hæc & multa alia coaceruant & ingerūt fideliū auribus vanissimi impostores, inescatum hominem secum ad perditionem tracturi. Verū qui paulo oculatiores sunt in

in Ecclesia Christi facilè perpendunt in istis fucis latitare artes diaboli: vnde nec ista omnia pili faciunt. Frustrà enim iacitur rhete ante oculos pennatorum. sed homines pecuini, bestiales, ac ventri seruientes sui sensus impetu,in prçcipitiũ maximum ruunt,sibi mendacium pro veritate persuadentes. Sic modica spica circumposito visco aues, sic pisces hamo capiuntur. Et vtinam quemadmodum in auibus & piscibus ferè accidit, pauci caperentur: nec tã multos hac tẽpestate videremus vana pessimæ libertatis spe lactatos, via lata ad mortẽ properare. Omnia certè melius haberent, mitiúsque torquerentur animo viri boni:qui ingemiscẽtes tractis alto corde suspiriis hanc apparẽtem regni Satanæ prosperitatem deplorant: & zelãtur super iniquos pacem peccatorum videntes:quia nõ est respectus mortis eorum, nec firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur: ideo tenuit eos superbia operti sunt iniquitate sua, prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum,&c. Vnde turbatis in hoc occulto Dei iudicio animis, veluti tacito murmure intus nõnunquam dicunt sigillatim,

latim. Ergo sine causa iustificaui cor meũ, & laui inter innocentes manus mèas, & fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis. Veruntamen licet ista obiiciat sensus, deinceps postquam intrauerunt in sanctuarium Dei, & intellexerunt in nouiss. eorum, spiritu interius loquente rationéq; magistra, intelligunt viam virtutis esse arduam ac difficilem, & ad Saluatoris sententiam, viam quæ ducit ad vitam esse admodum strictam, paucósque per eam ingredi cùm late pateat, & spatiosa ac frequens sit via quę ducit ad mortẽ. Quãobrẽ nihil isto efreni impiorum numero moueri possunt ad seruiendum carni & sanguini: pro explorato habentes Deum, neque in sanguinibus, neque in voluntate carnis sibi complacere. Vnde & proposita sibi vtraque viuendi forma, esuriem, satietati, infamiam, gloriæ, contumeliã honoribus, atque adeo mortes & cruces solẽnibus Regum triumphis præferunt. Quia, scilicet, quemadmodum: Mulier cum parit tristitiam habet, sed postquam peperit, iam non meminit pręssuræ, propter gaudium: eo quòd natus sit homo in mundum. Ita nos oportet per multas tribulationes intrare in regnum

han. 16.

cœlo-

cœlorum. In fletu & lachrimis ferendum eſt, vt cũ exultatione aliquando metamus. Exeundum nobis ad Chriſtum extra huius mundi ſepta, & improperiũ eius portandũ, ſi cum illo regnare volumus. Quod præſentiens Rex & Propheta Dauid, dicebat. Propter verba labiorum tuorũ, ego cuſtodiui vias duras. Hinc & Paulus ſanctæ electionis columen, ad portandum nomen Chriſti, coram gentibus, in alio gloriari prorſus recuſat, quàm in cruce domini noſtri Ieſu. Et reuera ſi rem omnem propius attentiúſque conſyderemus, Ne quidem apud æthnicos, atque infideles viros, verus honor & ſolida quies, alia mercede iuſtius digniúſvè comparari poteſt, quàm honeſto labore: prout ſcitè graphicæque explicuit: his verſibus Poëta Chriſtianus. *Pſal.*

In virtute labor, ſed in ipſo certa labore
Dona: ſit ex operis merces: æterna reſurgit *Mantu. lib. 1. C[...] ſtruction[...]*
De ſudore quies, & de mœrore voluptas.
Non habet ex omni numero, plebíſque, patrúmque
Victricem (niſi qui potuit certare) coronam:
Et multis certare datur, ſed vincere paucis:
Atque coronari, & celebres vectare triumphos.

Quapro-

Quapropter blandis Syrenum vocibus aures occludam. & omnia ista quibus mihi applaudunt Mũdus, Caro, ac Diabolus, propter Christum detrimentum faciam: & execrabor tanquam stercora. Sequar illud non vsqueadeo vetus quàm salutare consilium, quo principio Christo domino meo, me deuinxi, renuncians Satanæ & omnibus pompis eius. Abrenuncio tibi Satan, & coniungor tibi Christe, Ecce signum domini nostri Iesu Christi, ✠ fugite partes aduersæ, & nolite nocere seruo Dei veri & viui.

risost. 4. mil. 21

TENTATIONIS tertiæ depulsio. Cap. 6.



PERQVAM ARDVA certè est postrema tentatio, nec facile cuiquam citra diuinam opem euitabilis. Verũ hîc omnis Christianus cum sancto Propheta imperterritus super custodiam suam stabit, dicétque: In te eripiar à tentatione, & in Deo meo trãsgrediar murum. Hic

cuch. 2. m. 17.

Hic sumet scutum inexpugnabile verita- *Sap.5.*
tem, induet pro thorace iustitiam, & pro
galea iudicium certũ, ad resistendum con-
tra insensatos orbis terræ. Porrò ad conte-
rendum frangendúmque hostem sibi ac-
cinget imitatione fortisimi atque inuictis-
simi ducis, gladiúm spiritus, quod est ver-
bum Dei: nec pigebit iram illam, quæ sine
peccato est, in diram lanceam acuere, vt cũ
Christo fortiter dicat: Vade Satana. Scri-
ptum est: Dominum Deum tuum adora- *Matth.4.*
bis, & illi soli seruies. Non adoro ego Ba- *Deuter.6.*
alin: non Mammona, Asmodeum, Asta-
roth. Moloch, non Iouem, Neptunũ, Bac-
chum, Iunonem, Venerem, Palladẽ, Æscu-
lapium, non denique Solem, Lunam, aut
reliquam cœli militiã: quæ nil aliud sunt
quàm mera gentilitiæ superstitionis atque
malorum dæmonum inuenta. Omnes dij
Gẽtium dæmonia, dominus autem cœlos
fecit. Deum adoro, quem vitæ datorem ac
redemptorẽ per Christum agnosco: quem
& militiæ istius (in qua desudo) retribu-
torem liberalisimũ expecto: huic totum
me deuoueo, quia huic totum me debeo.
Omnes eius amicos seruos, cum viuos tum
mortuos propter eius reuerentiam debita

ven e-

veneratione obſeruo: illis ſaluté & vitam omniáque mea commẽdo tanquam ſummis & certiſsimis ſuffragatoribus meis apud diuinam clementiam, ſufficienter earum rerum fiduciæque huius ſalutaris admonitus voce prophetæ, dicentis: Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Quid hic auribus noſtris obgãniunt Antichriſti (volentis, & iamiam parantis extolli ſuprà id omne quod dicitur Deus) præcurſores vanitatem, & loquuntur mendacium, dicẽtes: Hæc omnia tibi dabimus, ſi cadens adoraueris beſtiam? quod ſi facerem, vtique non vſqueadeo beſtiam quàm promiſſos honores, theſauros, delitiáſque carnis adorare putarer. quàm ſtolidum autem ac belluinum ſit vllum diuinitatis numen momentaneis iſtis & caducis rebus tribuere, Eſaias ille ſatis ſupérque cõmonſtrat libera voce clamantis in deſerto. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri: Exiccatum eſt fœnum & cecidit flos, verbum autem domini manet in æternum. Egóne herbam vel fungum imbecillem te ſuaſore mihi Deum cõſtituã? Ego brachium meum exoſculabor? Ego

ventri

ventri aut carni supplex procũbam? Egon inconſtanti inſtabilíque fortunæ litabo? Non faciam. Audiam potiùs quid loquatur in me dominus Deus, & ſanctiſsimus eius ſpiritus: nã & mihi Deo adherere melius eſt, ac ponere in illo ſpem atque expectationem meam. Dicam domino, ſuſceptor meus es tu, adiutor meus & redemptor meus in opportunitatibus in tribulatione. A fungis auté & fictilibus iſtis quid auxilij præſtantis expectare queat homo? Scio quid velint & quo tendãt nebulones ac tenebriones noſtri. Malis dęmonum artibus imbuti, homines à vera pietate & ſancto Dei cultu ad ſeruiendum barathro iis pręſtigiis traducere conantur. hoc à principio ſaxum voluebat, & vſque ad hanc dié voluit Siſiphus ille Lucifer, qui mane oriebatur, & volens Deo ęquari, & pro Deo coli dicebat in corde ſuo: Aſcẽdam in cœlum, & ero ſimilis altiſſ. Verùm qui aſcenſu ſolium Dei omnipotentis affectabat, ſicut fulgur in abyſſum infimam pręceps corruit, dignitate malè petita priuatus: ſed pertinacie contumacięque affectum perpetuò ſeruans. Vnde nobis hodie per prophetas ſuos perſuadere conatur diſceſsio-

nem

nem à Deo, inuidens scilicet nostro generi suam fœlicitatem, & repromissas beatitudinis sedes, à quibus deiectus fuit. Ideóque recóditas cœlestis patriæ opes, veram & núquam perituram gloriam, nunquam ille promittit: sed falsas delitias seculi, & fastuosam mundi pompam, pessimis quibusque perceptibilem. Idque obiecta conditione omagij nefandissimi. Si nobis adhæseris. Si nos nostrámque religionem complecti voles, si ab Ecclesia Romana, Ecclesia vtique catholica & apostolica ad nostram apostataueris, si denique à beato Petro Apostolorum principe ad hæresiarcham pessimum Caluinum, Martinúmve Lutherum, aut alium quemuis Neochristianum descíscas. Sed quæ tandé istorum bonitas, aut singularis virtutis præstantia, vt relicta Saluatoris pascua, ad eorum me Ecclesiam trásferam? Martinú Lutherum norunt omnes principio sancti Augustini institutum suscepisse, atque deinceps ordinis propositíque pertesum (cuculo reiecto) voluptatibus defluentem, monialem quandam (quæ & ipsa votiuum peplum virginalémque cóculcauerat fasciam) pro coniuge habuisse. Monachus scilicet monacham

nacham, inceſtúſque inceſtam duxit, vt gemino ſeſe ſacrilegio polluerent.

Horrida Tyſiphone thalamis vlulauit in iſtis,
Súntque ſepulchrali lumina mota face. Ouidius.

Caluinũ nouerunt Nouiomenſes noſtri, prima ætate, inter diſſolutos ſuæ vrbis viros, diſſolutiſsimum: inter inconſtantes, & fœdifragos inconſtantiſsimum. Quæ talibus auſpiciis, talíque principatu, primordia ſua recipit, Eccleſia, nequit non eſſe ſuſpecta ĩpietatis. Quæ vera & legitima eſt, fundatur ſupra firmam petram: ſolida & conſtans manet, neque vẽtorum impetus, neque aquarum colluuiem timẽs. Verùm iſta quam audio, Genebis & Lauzannę extrui: tametſi ex diuerſis terrarum angulis exantlato labore ſibi lapides quærat, quia ſuper arenã, id eſt ſuper leuiũ impurorũq; virorum iudicium ædificatur, diutius ſtare non poterit. Primo quoque bellorum turbine ſeditioníſve impetu ac tẽpeſtate corruet. Quinetiam vt procedente principio illis proſperè cedat, tandem confuſis doctorum atque ædificãtium ſibi mutuò aduerſantiũ labiis, ad inſtar turris Babel interrũpetur opus, nec vnquam perueniet ad perfectum. Tunc, tũc, corruet ſuperba illa Geneſ.

 Babilon

Babylon quę in fronte habet literis aureis scriptum mysteriũ. Mysterium vtique tartareum, & ad tartari abyssos imprudentes, ac deliros homines pertrahens. Veniet certè & (ni fallor) proximat tẽpus quo in vobis implebitur tremendum atque horribile illud iudicium, quod in Apocalypsi vobis interminatur Apostolus Christo dile-
Apoc.18. ctus Ioannes: Vę vę, Ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis: quoniam vna hora venit iudiciũ tuum. qui legit, intelligat. Veniet certè vna hora quãdo iam Deo miserante, principes Christiani pace ęterna confœderati, conuenient in vnum pro domino Deo & Christo eius, id est Pontifice Romano aduersus istam quam ędificatis Babylonem: & tũc iudicium vestrum erit. Negociatores terrę, id est terrestriũ & carnalium, ac mũdanorum desideriorum, tũc flebunt ac lugebunt super illã, quoniã merces eorum nemo emet amplius. Merces inquã auri, & argẽti, lapidis preciosi, & margariti, bysi, & purpurę, & serici, & cocci. Omne lignũ tignum, omnia vasa eboris, vasa de lapide precioso, & ęramẽto, & ferro, & marmore, & cinamomũ, & amomũ, & odoramentorum vnguenti, & thuris & vini

vini,&oleí & similę,& tritici,& iumento rum,equorum,rhedarum,mãcipiorum,& animarum hominum, & poma desiderij, ac voluptatis:quę reuera si propius spectãtur,sunt illa ipsa quę repromittitis sectatoribus vestris,rhetia Diaboli in mortem & perditioné laxata, quę tũc certè nemo recipiet cum vobis repentina ingruerit tẽpestas, cũ super Sodomeas & Gomorrheas vrbes vestras incãduerint ignes & fulgura furoris domini. Tũc,mercatores vestri lugebunt & flebunt. Tunc inquam flebunt, ementes & vendentes vestri,cum vindice Dei viui flagello omnia ĩpietatis suę mercimonia euersa cernentes,introibunt in inferiora terrę,tradentur in manus gladij,& partes vulpium inferarum erunt. Tunc sera miseri ducentur pœnitẽtia,si modò pœnitentia vlla,vllo tormentorũ timore moueri possunt hęretici & pertinaces viri, sicut,nonnunquam accidit,vt post plagas stulti quoque & bestię sapiant. Tunc singulis vestrûm dicetur:Complica mercator tuas merces.Ego tanti pœnitere non emo. Quinimo si posiderem hoc fecis ac sterquilinij genus lubens, dato precio extruderem,ne fortè huiusmodi vanis & futili-

bus fortunę ludibriis illect⁹ animus à pietate & maiorum nostrorum religione abduceretur: néve imprudens honores ac diuitias, aut ventrem mihi deos cóstituerem, genua curuans ad adorandũ Satanam mũdi principem. Has insidias prçcaués inclytus ille rex Salomó. Deo hac oratione sup-
Prouerb. 30 plicabat. Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar. Vanitaté & verba mendacij longe fac à me. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tãtummodo victui meo necessaria, ne fortè satiatus illiciar ad te negandum, & dicam: quis est dominus? aut egestate cópulsus furer & periurem nomen Dei mei. Deprecatur, & à se grauibus de causis remoueri postulat vir sapientissimus opulentiam: & tu premij cuiusdam amplissimi loco mihi diuitias obtédis? suspecta mihi sunt tua dona. Ipsæ opes (vt cçera prçteream) pungentes sunt possessoribus suis spinarũ aculei: quę cum assiduo labore acquiruntur, cum anxia solicitudine conseruãtur acquisitæ, cum tædio denique & dolore maximo vel perduntur vel relinquuntur. Quibus accuratè ponderatis, nullus est tam cæcus aut mentis inops qui non facilè iudicet opulen-

tiam plus aloes quàm mellis habere: plus abſynthij ac rutæ quã pulegij, ac veri dulcoris continere. Quod proculdubio planè ſenſit emunctę naris philoſophus Anacreon: qui quinque talẽtis à Polycrate donatus cùm per duas noctes pro ipſis cuſtodiendis ſomnos interrupiſſet, eadem reddidit, dicẽs: Non eſſe tanti quãta pro ipſis ſuſcipiẽda eſſet ſolicitudo. Et quis fuit ille veterum philoſophorũ qui hoc tanquam ſuperfluò diuitiarum onere ſe grauatũ ſentiens, magnam vim auri atque argenti in mare proiiciens, ait: Ite peſſum malę diuitię: malo vos mergere quàm à vobis mergi. Verũ eſt profectò, quod obſeruato rerũ vſu ſapiẽtes dixere, multis illum egere qui multa habet: magnámque indigentiã non vſqueadeo ex inopia, quàm ex magna copia naſci. multa ſiquidem deſiderantur ad multa quæ habeas tuẽda. His accedit quòd diuitias ſecum nemo aufert cùm hinc diſcedendũ eſt. Nihil intulimus in hũc mundum (inquit Apoſtolus) certum eſt, quia & nihil auferemus. Tũc miſeris diuitibus perinde accidit atq; comediarũ actoribus à ſpectaculis populo exhibitis, qui nõ ideo domum ſuam feliciores reuertũtur, quòd

Anacreon

Gellius li. 9 noct. cap. 8.

Dei vel Regis personam magno, elegantíque fastu & comptu in scena egerint, sed isto splendore exuti viles conditionis suę pannos resumunt, & consuetas artes ad victum quęritãdum exercent. Terra vniuersos homines nudos accipit, nudos item redditura est. Ob ídque bene prudentérque monemur scripturis, in cœlo potiùs quam in terra thesaurizare. Ad quam sentẽtiam diuinus Psaltes: Diuitiæ si affluant, nolite
1.Timoth.6 cor apponere. Et Apostolus ad Timoth. scribens: diuitibus huius seculi, pręcipe nõ sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo qui pręstat nobis omnia abundè ad fruendum, bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facilę tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam ęternã. Timorem mihi ingerit Saluatoris dictum. Luc.18. Quàm difficile qui pecunias habent, intrabũt in regnum Dei. Sed, Quis tandem es qui ista tam asseueranter promittis? Nuntius ais prędiuitis Reipublicę Genebensis, planè inops, & Codro pauperior. Cur non prior de huiusmodi siliquis vẽtrem, crumenam, atque arcam replebas, vt sic auro, argento,
omníque

omníque ornatu ſplendés, facilius noſtrę genti imponeres. Suſpecta mihi tua fides, ſuſpecta promiſſa, ſuſpectę quoque mihi diuitiæ, ideóque iſtis omnibus perquàm lubens renuntio, & conſilia Pauli ſequutus: Nunquam ſperabo in incerto diuitiarum, nec animulam hanc, quam mihi dedit Deus pecunia commutabo. Gratiam inſuper & fauorem magnatum polliceris: At princeps Dauid expertus pluries in curia Saulis, quàm lubrica & parum ſtabilis ſit principum gratia, ipſe me in contrarium trahit dicens. Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum in quibus nõ eſt ſalus. Et Hieremias. Maledictus vir qui confidit in homine, & qui ponit carnẽ brachium ſuum: & à domino recedit cor eius: erit enim, quaſi myricæ in deſerto, & non videbit, cum veniet bonum, &c. Benedictus vir qui confidit in domino, & erit dominus fiducia eius, & erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, &c. Ego hanc tyrannorum tuorum, ſpem fallacem, ne quidem obolo liceor. Pulchram generoſámque, ac locuplетem ſortieris coniugem (inquis). Ohe iam repente ex concionatore ac Euangeliſta,

Pſalm.

Hiere.17

mihi factus videris Hymeneus,aut pronubus quidam, nuptiarum fœderum curator eximius.

orat. *Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?*

Quasi virginum matronarúmque vestratum connubia,in iudicio arbitratúque solo cóquiescant tuo,vt cum Iunone Vergiliana dicas.

ergil.1. Aeneid. *Sunt mihi bisseptem* (dic si vis tercentum) *præstanti corpore nymphæ:*
Quarum quæ formã est pulcherrima Deiopeĩã,
Connubio iungam stabili, propriámque dicabo:
Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

Verum fatebor: hîc quoque fidem vocémque tuam habeo suspectam: & timeo cùm tibi annuero,& eo peruentum fuerit, *enes.29.* ne pro formosa Rachele,gybosam cythariſtriam lippam ve, aliquam mihi furtim supponas: aut inceſtam Herodiadem pro pudica Sunamitide:vel pro electa virgine, scortum.Nam apud vos tales multæ comperiuntur:quæ fœdere sponsi cœleſtis abrupto, quo liberius desideria carnis expleant, & honeſtius luxurientur, de nuptiis cogitant.

uid. *Speciosa*(videlicet)*nomina culpæ imponit*

Me-

Medea suæ.

At verò faciamus, vt nihil istorum tristium, in nuptiis contingat & Corneliam Vetruriámve alteram quis ducat: nihilominus sine cura & anxietate, nunquam viuet Apostolo testante. Qui tribulationem carnis matrimonio sociā describit. Quod ipsum Anaxādrides, scripto perquam eleganti & proprio nobis expresit.

Quisquis vxorem ducere deliberat, Anaxadrides.
Vbi deliberauit, statim ducit,
Quod multorum vitæ malorum initium est.
Nam si quis pauper pecuniosam vxorem
Duxerit, non vxorem, sed dominam habet,
Cuius famulus est, & seruus: quòd si duxerit
Nihil differentem dotis, iterum fit seruus:
Oportet enim deinceps vnius loco duos alere.
Duxit aliquis turpem, non amplius ei iucunda est vita.
Neque omnino domum ingredi lubet.
Formosa ducitur, nō est illa magis mariti, quàm vicinorum.
Itaque nullo modo malum cauere potes.

Ad hæc mala hoc quoque accedit, vt quamtulúcunque est in coniugio bonum, illud perquam breue sit: neque diuturnitate neque sanctimonia, illi respondens Angeli-

gelico pudori, à quo nos diuellere tentas. Ad Saluatoris enim dictum in cœlo cessaturus est nuptiarum vsus. Nam parturigines, coniugum mortes, filiorum orbitates, & sexcenta alia istis similia, prætereo. Quod honores ampliss. dignitatésque ac magistratus in republica pollicentur angeli Satanæ, nihilo plus momenti ad persuadendum viro cordato sapientíque adferti: Nam & Dauid exclamat de Seiano

Psalm. quodam: Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros libani: Transiui, & ecce non erat: quæsiui & non est inuentus locus eius. Quibus confinia sunt quæ alibi scribit Iuuenalis:

Satyr. *Nocitura toga, nocitura petuntur*
Militia: & torrens dicendi copia multis,
Et sua mortifera est facundia:
Pœnituit multos vanæ, sterilísque cathedræ.
Quosdam præcipitat subiecta potentia magnæ
Inuidiæ: mergit longa atque insignis honorum
Pagina.

Dignitates enim ac magistratus ampliss. ferè consequitur inuidia multorum: & ad Sapientis dictum qui addit alicui honorem, laborem quoque, atque onus nó mediocre adiungit. Ob ídque Imperatores clarif-

clarisſimi ac potentisſ. oblata ſibi vltro imperia,vel recuſarunt,vel aliquandiu gubernata ſubditorum ſibi populorum arbitrio reliquerunt: hoc veluti graui & intollerabili iugo colla eximentes.Quod de literarum linguarúmque peritia adfertur, plus gratiæ & fauoris promereri poſſe fortaſſe cuiquam videbitur:ſed homini technarum veſtrarum experti:ei videlicet, qui arborem potius ex foliis & floribus,quàm ex fructu æſtimarit.Neque verò facilè credam purius diligentiúſvę ſcripturarum ſenſa in veſtris Academiis veſtigari,quàm in noſtris: & id ſufficienter produnt ſcripta doctorum veſtrorum: quæ preter impietatem, blaſphemiam, & contumelioſam quandam nugacitatem,ſapiunt nihil. Adhæc iſthanc ſophiſticā mundi ſapientiam mihi prorſus exoſam reddit Sanctus Propheta, atque ab illius ſtudio retrahit, cum ait: Quoniam non cognoui literaturam,Introibo in potentias domini:domine memorabor iuſtitiæ tuę ſolius.Malo,& mihi multo melius eſt, nihil ſcire, quàm per ſeculi ſapientiam Deum ignorare: Aſcendam cum Zacheo in arborem ſicomorum: Stultúmque Dei eligam, ne tandem *Pſalm.*

dem euaporata, atque euanida ſapientia: In conſpectu angelorum confundar. Nec verò de artium varietate, & multiplici rerũ ſcientia, ſed (quod bonis omnibus ſolatio maximo eſſe debet) de pietatis & miſericordiæ operibus iudicabitur mũdus. Per-
.9. *or.1.* det autem Deus ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabit. Porrò linguæ ad modicum vtiles ſunt, nec tanti eſſe debent bono viro, vt earum gratia ab obſeruantia & religione maiorum ſe
r.14. ſubſtrahat. Mauult Apoſtolus quinque verba ſenſu ſuo in Eccleſia loqui, quàm decem milia verborũ in linguis. Linguarũ curioſitatẽ plurima mala hominibus innexiſſe, errorúmq; præcipuam fautricem fuiſſe, grauiſsimorum autorum ſententia accepimus: atque imprimis beati Hieronymi, qui quanquam linguarum callentiſſimus eſſet, aduerſus Iouinianum ſcribens,
ieronym. Quadringenti fermè (inquit) ſunt anni, ex
.2. *uerſ. Io-* quo Chriſti prędicatio fulget in mũdo, ex
14. quo innumerabiles hęreſes tunicam illius conſciderunt, Vniuerſus penè error de Chaldęo, Syro & Gręco ſermone proceſſerat: Baſilides magiſter luxuriæ poſt tot annos in Iouinianum quaſi in Euphorbum tranſlatus

translatus est, vt Latina quoq; lingua suam hæresim haberet. Nec verò solùm pietati, verumetiā ordini politico noxium cēsuit linguarum studium. M. ille Cato celeberrimum gentis Romanæ oraculum: qui de Græcis ad M. filium scribens, Dicam de istis suo loco quid Athenis exquisitum habeam, & quod bonum sit eorum literas inspicere non perdiscere. Vincam nequissimum & indocile genus illorum. Et hoc puta Vatem dixisse. Quandocunque ista gens suas literas dabit, omnia corrumpet. hæc ille. Sed illo fortiorem habemus sanctorum patrum ac Prophetarum sermonem, qui protestantur affore tempus, cùm destructa linguarum istarum varietate (nam & linguæ cessabunt, & scientia destruetur, illa vna excepta, quæ Dei cognitionem amplexans, nos in cœlū subsequetur) omnes vno ore & lingua vna in ciuitate Dei glorificabimus patrem luminum. Hæc nouissima lingua beatitudinis æternę non in æmulatione, superbia, curiositate, aut congeneneis peccatorum formis, sed in charitate radicabitur: sine qua nec sibi profuturum quicquam sperat Apostolus, si vel angelorum linguis loquatur.

Plin. lib. 29. cap. 1 Natural hist.

1. Cor. 13

Et quis

Et quis eſt tam hebetis atque obtuſi animi, qui non ducat in immenſum præſtantius eſſe bene viuere, quàm diſertè ac vario idiomate loqui? Venio ad eam quæ nouiſſimo loco promittebatur viuendi libertatem: quam reuera plurimi facerem, & totis vlnis viro bonó complectẽdam putarem, ſi nos à ſeruitute peccati liberaret. Ab hac autẽ ſalubri cogitatione me reuocat, quòd ſubolfacio neſcio quid portenti, dum gnauiter diſſeſsionẽ à regibus & ſanctiſsimo Pontifice Romano ſuaderi cóſpicio: ideóque vereor, ne qui ita alios hortantur, ſint eorum aſſeclæ, de quibus in canonica ſcripſit beatus Petrus: Qui ſuperba vanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos qui paululum effugiunt, & in errore conuerſantur, promittentes illis libertatem, cùm ipſi ſint ſerui corruptionis. A quo enim quis ſuperatur, huius eſt & ſeruus. Conſtat inter Neochriſtianos noſtros non paucos reperiri filios Belial, qui iugo dominationis & potentatus omnis excuſſo, neque Deum timẽt, neque homines reuerentur. Prohibeat Deus Opt. Max. qui me docuit à iuuentute mea, ne inueniar illorum particeps, néve in conſilium eorum

tr.2.

veniat

veniat anima mea. Absit à me vt cum cruento Pharaone, vel blasphemo Antiocho efferar animo, & dicam: Nescio Dominũ: & Quis est Dominus? Deum vniuersorum regem ac dominum agnosco, Regem vtique Regum, & dominantium dominum. Cuius reuerentia non modò Pontificibus & Regibus, sed ne quidem plebeis & popularibus viris subiici à me alienũ putabo. Adhærebóque salutaribus monitis eiusdem Apostoli Petri, dicentis: Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, quasi præexcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quasi liberi, & non quasi velamen malitiæ habentes libertatem, sed sicut serui Dei. Hæc certè est fœlix beatáque seruitus, quæ nec libertatem spiritus tollit, nec permittit hominem ire in tenebras, sed transfert in regnum cœleste: vbi plena est ac perfectißima libertatis fruitio, cuius euentus fortunati cõsideratione, protestamur Christiani Deo seruire nil aliud esse quàm excel- 1. Petr. 2.

August. li. ... ver. Rel. ...p. 48.

lentis cuiusdã regni speciẽ tenere. Quem delectat libertas (inquit August.) ab amore mutabilium rerum liber esse appetat: & quem regnare delectat vni omniũ regnatori Deo subditus hæreat: plus eũ diligendo, quàm seipsum. Cõfert capita, vel quãtum audio proximis diebus contulit impietatis Synagoga: prospectura qualiter Ecclesię Romanę prędia, reliquásque possessiones Ecclesiasticas sibi, quo iure quáque iniuria vindicare poterit. An non hoc erat raptorum conciliabulum, aut si mauis tortorum iterato Christum ad crucifigendum spoliantium? Est (inquiũt) penes nos autoritas imperij, qua inconsulta non potuit Constantinus, aut alius quiuis Imperator post eũ, agri illius dominiũ in Ecclesiam transferre. Ad hęc Sacerdotes legis Mosaicę prohibiti sunt venire cũ reliquis tribubus in sortem hęreditatis, eo quòd Deus ipse pars illorum esset, qui decimas, primitias, & oblationes illis ad educationem familię resignarat, & vrbes certas inter contribules suos illis ad inhabitãdum destinauerat. propter quę concludere parant Ecclesias nullos reditus annuos, nulláq; prædia posſidere debere. Nec desunt

proh

proh pudor, qui omnia Regum atque Imperatorum esse cõtendant, & legem illam tyrannicam, quæ describitur primo libro Regum ad auertendum populum à Regis petitione, seriam esse velint. Hæc est vetus tyrannorum querela, quibus cùm nequidem orbis vnus sufficiat, spoliatis Ecclesiis nihilo ditiores facti, tandem ferè paupertate pressi, & fœdissima corporis tabe consumpti, miseras animas exhalant. Istis omnibus compendio perquam eleganter satisfacit S. Ambrosius Ecclesiæ doctor, quondã Mediolanẽsis Episcopus, & Cano. eius verba 23. quæst. 8. Conuenior. vbi prę- ter cætera. Quæ diuina sunt, imperatoriæ potestati non sunt subiecta. Si de me aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut ager, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris esset, libenter offerrem. Templo Domini nihil possum nec decerpere, nec decerpendũ tradere: cùm illud custodiendum, non tradendũ acceperim. Consulere me oportet Imperatoris saluti: quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat vocem liberi sacerdotis. Si vult sibi esse cõsultũ, recedat à Christi iniuria. Sanctus vir Naboth vites suas proprio

1. Reg. 8.

23. quæst. Conuenio[r]

cruore defendit. Si ille vineam propriam non tradidit, trademus Christi Ecclesiam? Reuocant in dubium filij Belial, an dos sua manere debeat Christianorum Ecclesiis, tanquam catuli leonum rugientes & quærentes non à Deo, sed à diabolo escam sibi. Vident Ecclesiasticos prout præcepit eis Christus, Simplicitatem columbinam atque ouillam innocentiã sectari, ideóque illos ad deuorandum persequuntur. Tollendos putant agros Ecclesiæ, ne attenuetur maiestas imperij, verùm iis aliquando sustentatum est ne rueret imperij sceptrum. At id potius me iudice in quæstionem reuocari oportuit: An penes Apostatas manere debeat monarchiæ delectus: qui maioribus eorum olim propter fidei integritatẽ delatus fuerat. Nã de Constantini aliorúmq; Imperatorũ donationibus, nequicquam ab eis murmuratur. Quibus tunc temporis nihil iuris erat in imperio quod nũc primũ sub Carol. Magn. Sãctiss. principis gratia & bonitate acquisitũ est. Hoc quicquid est controuersiæ, ni fallor, breui componetur, quando in illis impletum videbimus Christi Saluatoris paradigma. Omni habenti dabitur, & ei qui nõ habet

Plat. in Gregor. 5. anno domini 1022

habet,etiam quod habet auferetur ab eo. Quod autem ad impij decreti confirmationem citatur de Sacerdotio veteri, non plus rationis habet,quàm si ius primitiuorum à vobis hodie poscere vellent, hoc prætextu Ecclesiæ ministri. Ex quo clarũ & spectatũ satis omnibus esse potest. Satanam eorum cor seduxisse qui ista mouent, illósque impegisse in crimen scelerati Balaam: qui corruptus mercede iniquitatis, voluit populo Dei maledicere,nec potuit. *Numeri 2*

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames? *Verg. 3. Aeneido.*

Iampridem contra donationem Constantini per malos quosdam genios acclamatum est,aut verius exibilatum: sed nihil eorum sibilo actum est: quominus bonorum omnium consensu,Ecclesiæ Censum modicum posiderent ad sui manutentionem,& pauperum subleuationem. An verò hi sunt thesauri quos tanta confidentia sectatoribus vestræ scholæ repromittitis? Facturi deinceps proselytos duplo vobis deteriores. At verò neque vos,neque coniuratores & conspiratores vestri, gaudebitis vnquam hęreditate domini. Non enim relicturus est dominus virgã peccatorum

clesię. Scuto (inquit ille) circundabit te ve- Psalm. 90
ritas eius, non timebis à timore nocturno. Nox certè nihil aliud est quàm vmbra: corpus verò & caro, quid aliud sunt, quã animę vmbra? Quisquis vmbram suam timet, formidolosus nimirùm est, & pusillanimis. hunc autem timor nocturnus infestat, qui propter vmbram, id est carnis mollitiem, abstinentiam, ieiunium, continentiam, castitatem, disciplinam, paupertatem, & vigiliarum orationísque onus auersatur: quem timorem eliminat & foras mittit charitas perfecta: quæ etiam-num hominibus ingerit carnis lasciuientis contemptũ: & frenos moderationis adhibens, docet hominem subdi Deo. Hic radius è scuto veritatis prodiens, huius vmbrosæ noctis peccati timorem aufert. Nunc quidẽ ob oculos animi peccata quæ fecimus obiiciens, quatenus eorum recordatione cum Sancto Propheta, In flagella parati Psalm. 37
simus (per satisfactionis propositũ) annũciantes (confeßione oris sacerdoti) iniquitatem nostram, & cogitantes (salubri cordis compunctione) pro peccato nostro. Nunc verò æterna supplicia cõmonstrãs, vt illorum consideratonéque pro innu-

merabilibus delictis nostris meruimus, pœnitentiæ laborem delitias reputemus. Nunc cœlestia præmia ad quæ tendimus, quo sic eorum dulcedine mitescat ac mitigetur compũctionis amaror, & hoc veluti pulegio afflictionis tẽperetur Ruta: Quoniam non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Nunc etiam illa quæ pro nobis pertulit Christus, vt consyderantes quanta pro inutilibus seruis sustinuit maiestas, erubescamus non sustinere modica pro nobis. Hac veritatis luce veluti scuto quodam protegimur aduersus timorẽ huius vmbræ mortalis: quæ præcedentibus admonita, vltro colla rationi subiicit: cinerem tanquam panem mãducans, & potum suum cum fletu miscens. In hoc scuto depulit Christus, primum aduersarij iaculum, cùm dixit, scriptum est: Non in solo pane viuit homo, &c. Circundat insuper & protegit nos veritatis diuinæ scutum à sagitta volante in die, quæ tametsi leniter volat, & leuiter, ac (vt sic loquar) imperceptibiliter penetrat: mortiferum tamen infligit vulnus. Hæc est vana gloria & præsumptionis elatio: quæ sensim furtímque
irre-

...m.8.

irrepens, ſanctos quoque & Dei zelo feruentes viros, niſi diligẽter ſibi caueant, grauiter ſauciat. Hac principio concidere primi parentes noſtri, audiẽtes à ſerpẽte: Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum. hac Geneſ.3. infeſtatus Aaron cũ Maria ſorore & aliis prope innumeris, vt aduerſus ſanctũ Moyſen murmurarent, eius gloriæ inuidentes: hac aliquando inclytus rex Dauid ceſpitauit. Verùm Chriſtus anteſignanus noſter tunc fortiter illam à ſe repulit, cùm ſcutũ veritatis tentatori opponens, dixit: Scriptũ eſt, non tentabis dominum deum tuum. Et nos eius exemplo hanc deuitabimus, ſi veritatis huius radius animabus noſtris illuxerit: cuius fulgore pannos infirmitatis humanæ, & menſtruatam ſanctitatem noſtram diſcutiẽtes, noſmetipſos adamuſsim diiudicemus. Nam ſi propoſitam contemplemur corruptionem in multis offendimus omnes, nec ſumus illo præſtantiores, qui dicebat: Scio quia non habitat in me, id eſt in carne mea, bonum. Et ſi eo perfectionis promouerit quiſpiã vt nullius criminis conſcientia prẽmatur, intelligat tamen eodem apoſtolo doctore ſe non in Rom.7. hoc iuſtificatum eſſe. Vel ſi ſe putat in ali-

virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum erugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem, Malum vtiq; placidum & delectabile. Hæc plerunque ſupplantat eum quem neque nox aduerſitatis, neque dies proſperitatis turbauit: Accidítque vt cuius appetitum vanitatis ſiliqua non irritauit, illius animum ſoliditatis apparentia, ſurripiant, ac deprædentur honorum gradus: & congeſtæ multo ſtudio fortunæ. Quis neget, aut non ſibi facile perſuadeat, vnũquemque quo eſt virtutis, & bonarum literarum cumulatior, eo digniorẽ eſſe, qui ſummos magiſtratus primóſque honores in republica teneat. & diuitiarum adipe perfruatur? Verùm iſta honorum fortunarũmque affluentia, multos de gradu perfectionis deiecit, mentis alienationem ac iuſti obliuionem inducens: honores (iuxta vulgatum Prouerb.) mutant mores: & plerunque homines faciunt Leon es.

Ludit (vtrorumque iſtorum) *amor ſenſus, animos præſtringit, & aufert.* *Mantua. Bucol.*

Hoc certè eſt negotium perambulans in te-

in tenebris,quod ſpecie iuſti principio incautos fallit, vt quærãt opes ac dignitates,
Lucæ.12. Sap.6. quibus demum adeptis, iudiciũ diſcretionis aufert, ne quod rectum eſt agnoſcant. Veruntamen & in iis anguſtiis ſcuto veritatis protegemur,ſi ob oculos noſtros ponamus ab eo multũ repeti,cui multum tributum eſt: & potentes potenter tormenta pati. In honorũ diuitiarúmq; ambitu friuola eſt omnis cõſolatio: Vſus breuis finis ignotus,graue & perplexitatis plenũ iudi-
Matth.16. ciũ.Quid verò prodeſt homini, ſi mundũ vniuerſum lucretur,ſeipſum autẽ perdat, & detrimẽtum ſui faciat?Hæ ſanctæ cogitationes quę ſeparãt à diabolo,& nos coniungunt Deo.pro veritatis habendæ ſunt ſcuto,cuius fulgore illuſtratus animus,nec honores,nec diuitias appetit.Oblatas quoque plerumque reſpuit,vel ſi acceptare cogitur,illis cor non apponit,& Apoſtoli cõſilio hoc mundo vtitur, quaſi non vtens. Accedit ad hoc veritatis ſcutum noua claritas ex verbo redẽptoris: Dominũ deum tuũ adorabis, & illi ſoli ſerui es: quam nec valẽs ſuſtinere princeps tenebrarum ab eo receſsit.ſed duntaxat ad tempus (ſic enim
Lucæ.4. ſcribit alius Euangeliſta:)Nobis ex hoc fa
cto

cto reuelante spiritu sancto, nunquam Ecclesiæ militanti defuturam tentationem, quamuis aliquãdo illi sicut & priuatim nobis cõtingant tentationum induciæ. Hinc est quod in Psalmo subiungitur ab incursu & dæmonio meridiano protectum iri eum qui ambulat & habitat in adiutorio altissimi. Vbi vt cætera præcedentibus respõdeant per incursum non incommodè mihi videntur significari priuatæ hæreticorum contumeliæ atque insidiæ: quæ hodie passim tenduntur, & fiunt Ecclesiæ filiis: à cõspiratoribus & apostatis, dum illis misericordiam denegãt, victus media tollentes, minas intentant & possessionibus spoliant, dum illis iustitiam iustitięque ordinem turbant, implicantes & confundentes iura ad hereticę perfidiæ leuamen. Vbi & nos scuto veritatis suę protegit Deus per Christum, sic nos admonẽs: Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malũ aduersum vos mẽtientes, propter me. Gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis. Arguor seditionis, quia in hęreticos inuehor: verùm Deus me pacificum agnoscit, & hoc nomi- *Matth.*

ne

& Ecclesia eius sponsa, qualiter Deus aduersus insurgentes perfidiæ impetus atque imminentia pericula, scapulis suis obumbret tibi, vt sub pennis eius speres. Habes insuper quibus modis scuto circundet te veritas eius, vt neque à timore nocturno, neque à sagitta volante in die, neque à negotio perambulante in tenebris, vel ab incursu & dæmonio meridiano quicquam formides. Habes denique qualiter ab iis monstris defensum, tandem te scuto bonę voluntatis suæ coronabit. Nam qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit. Quid igitur superest, nisi vt beneficia, ac dignationem illam summam qua nos prosequitur Deus, recognoscentes, ne ingrati atque indigni diuina gratia deprehendamur, vno ore, vnáque mente dicamus omnes. *Psalm.90*

Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarũ, & Deus totius consolationis, qui cõsolatur nos in omni tribulatione & tentatione nostra. Illi gloria & imperium in secula seculorũ, Amen. *2.Cor.1.*

Scuto circundabit te veritas eius. Psal. 90.

HVBERTI MORI AD D. Iohan. Vacquerium præcept. suum.

Rapta Philisthæis quondã vetus arca prophanis
Scribitur: & patrio pulsa fuisse solo.
A vaccis tandem Lactãtibus inde Reuecta,
Claruit: atque suo est redita salua loco.
Proh dolor, arca nouæ legis prope rursus eisdem
Incrassatorum prodita fraude boum est.
A quibus auxilium melius nunc ergo requirat,
Quàm quorum auxiliis ante recepta fuit?
Lactiferæ vaccæ, Vacqueri, promptus adesdum:
Viribus hæc vestris mox repetenda venit.
Vacqueri cessas? non te mouet Iste boatus?
Aude animis: hæc te laurea certa manet.



DOMINICA XIX. Nouembris, M.D.LIX. apud Faræmonasterium in ablutione baptismali duorũ puerorum terræ Americæ.

✠ *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerunt?* Apoc. 7.

AVE MARIA.



DILECTVS Christo Apostolus, cùm in spiritu raptus esset apud Pathmũ insulam, vidit gloriam Dei, circa prędestinationem ac præsciẽtiam electorum ad beatitudinem æternam: Et in iis cùm sese præsentaret chorus martyrum in albis fulgentium, angelus reuelationis diuinæ minister, interrogauit virum non quasi

quaſi reſolutionem quęſtionis ſibi cognitę expectans, ſed ad diuinorum myſteriorum ſpeculationem, Apoſtoli mentem erigere volẽs: Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & vnde venerunt? Quo audito reſpondit Iohannes: Domine mi, tu ſcis. quęſtionis ſolutionem exiſtimans ſatius eſſe ab angelo recipere, quàm eiuſdem definitionem pręſumptione indiſcreta vſurpare. Ad quem Angelus: Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Quibus abundè nobis ſignificatur quanta ſit ad conſequendam hæreditatis æternæ fruitionem, vis atque energeia baptiſmi ſanguinis, id eſt martyrij: quem non longo interſtitio ſequuntur ſincera fidei profeſsio, & ſalutaris ablutionis ſuſceptio: ob ídque quæ pro martyribus dicta ſunt, non ineptè iis duobus adoleſcentulis accommodabũtur: quos aquis ſaluificis ablutos, inſuper albis indui nuper vidiſtis: ad proteſtandam eam quam baptiſmo perceperunt in ſanguine agni gratiam, & mentis puritatem. Nobis igitur hac breui oratione, opitulante Spirituſancto, inueſtigandum qui, id eſt, quales ſunt nunc, & vnde venerunt: id eſt quales

les aliquando fuerunt: atque vt à posteriore initium accipiat oratio. Si vnde venerũt quæritur, Iure respõdere licebit eos ex magna tribulatione venisse: Nempe de semotissimis terræ habitatæ partibus. De terra (inquam) America regione, ad Polũ antarcticũ vergente: quæ ab hac nostra Gallia miliaribus penè octies mille distat. Terra vasta locorum spaciis, quæ cùm cœlum temperatum clemẽtémque aerem habeat, quarta totius orbis portio à Geographis describitur. Verum cùm cętera prope omnia quæ homines desiderare queant ad fœliciter habitandum, ibi abundè suppetent: inauspicato accidit, vt isthic homines quasi ritu ferino viuant: & quod cuiquam mirum videri possit, sub clementi cœlo prorsus inhumani atque inclemẽtes sint. acres pugnas ineuntes, & sigillatim & communiter, in inuicem, tanto odio tantáque ferocia, vt post mutuum cõflictum victores prostratorum captiuorúmque viscera depascantur: & cùm apud quosdam illorum (quemadmodum scribit Satyrographus) scelus credatur fœtum iugulare capellæ,

Carnibus humanis vesci licet *Iuuenal.*
Illic, non hospes ab hospite tutus:

H Non

Non socer à genero.

Nulla ibi lex,quę nefanda prohibeat:Nullus Rex qui lęsos ab iniuria vindicet. nullus Prætor qui admissum facinus suppliciis expiet: Omnes omnia sibi licere putāt, & vbi posse facultásque agendi subest,nihil sibi illicitum arbitrātur.Omnium vna est sententia.Sic volo,sic iubeo: sit pro ratione voluntas. hi duo cùm aliquot aliis in manus suorum hostium venerant, futuri post paucos dies eorum esca, nisi obstitisset generosus Heros Vilgaînonius, eques & religiosus sanctæ Crucis in Hierusalem: vir non minus literatura quàm nobilitate ac sanctitate commendabilis:qui proprio ære redemptos in Galliá transuexit, reclamantibus aliquandiu pertinaciter Dominis crudelibus:qui paucos de numero sibi ad conuiuij delitias relinqui importunius poscebant,quorum tandem animos & cruda pectora,sua sapiétia peruicit heros sanctissimus.Nunc demum de hac Babilonia fornace liberatos, Christo cósecrare ac dicare volens, eos ampliss.& clarissimis totius patriæ patronis religioni nostræ initiandos vltro citróque dispertitur:Ipso verò partitionis exordio, quo fœlicioribus auspi-

auſpiciis procederent omnia, duos adoleſcentulos,puellámque vnam,eiuſdē prope ætatis:inclitæ ac religioſiſsimæ, principi Antonetę à Lotharingia, Dominę Farę-monaſterij vltrò donauit: Illi ex animo commēdans eorum promotionē ad Chriſtum. Quę non multo poſt tēpore(vt eius gaudij participē quoque faceret illuſtriſſ. ſororem ſuam Renatā à Lotharingia ſancti Petri Remenſ.Cœnobiarcham) Illi alterum puerorū delegauit, huius quem videtis virgunculę fratrē: illius curam atque educationem eidem obnixè commēdans. Qui ſunt igitur & vnde venerūt? Certè ex magna tribulatione,ſi ferinam & tigribus dignam viuendi rationem ſuę gentis ſpectas: ſed multo maiore grauioréque, ſi iugiter illis imminentia cum corporis tum animę pericula ponderamus:nam gens tota eſt ſub Satanę imperio:Vnde & frequēter ab immundis ſpiritibus partim terrentur,partim corpore & animo affliguntur: vt illis facile tribui queat,quod ſcribit eximius Propheta. Miſit in eos Deus iram *Pſalm.77* indignationis ſuæ,indignationem & iram & tribulationem, immiſsiones per angelos malos.Hîc rugiunt in miſeris homini-

bus cacodæmones: hîc & canum vlulatus, porcorum grunnitus, taurorum boatus, ac elephantorũ barritus, ora humana sonant: hîc arreptitiorũ. Phanaticorũ atque energuminorum, prope infinitus est numerus. Hîc deniq; plenũ hactenus habuit infern⁹ præsidiũ. Magna igitur eorundẽ fœlicitate successit, vt antropophagia & carnificina ista educti, tãtos patronos Christo Domino militaturi nãcifcerentur: & nos ne beneficij diuini immemores simus, néve torpentes in gratiarũ actione deprẹhẽdamur: In iisdẽ periculis versati sumus. Nã & Satanę aliquãdo meruimus: nati cũ periculo, viperarũ more matres in ipso partu exanterãtes, & cruciatu intollerabili earundem vteros disrumpentes: mirum quin & ipsi disrupti discerptíque nascentes fuerimus, aut ipsas aluos matrum pro sepulchris habuerimus, vmbras inferas petituri: nisi nos Deus præuenisset, ac sua immensa bonitate ad eandem sacræ ablutionis gratiam (sicut & illos) perduxisset. Plato Deo. Opt. Maxim. Præter cætera de tribus gratias agebat. Primum quòd homo natus esset, nõ bestia, vel truncus. Deinde quòd Græcus non Barbarus, tertiò. quòd præceptore

ptore Socrate eſſet vſus. Quibus omnibus, multò ampliores gratias Deo & Chriſto Saluatori debemus: Imprimis quòd ſua benignitate nos nihil tale meritos, necdum vnde mereremur habẽtes, Non fungos, lapides, ſerpentes, canes, lupos, aut iumenta fecerit, ſed homines rationis, atque locutionis vſu præditos, ad ſuam ſimilitudinem efformarit: dotibus inſuper auxerit innumeris, & genus hoc noſtrum mortale, quaſi angelis miniſtríſque ſuis æternis coëquarit. Propheta in eius ſublimitatis admiratione inclamante: Quid eſt homo *Pſalm. 8.* quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulominus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, & cõſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. Quibus in aperto eſt, Deum hominem terris terrenı́ſq; omnibus præfeciſſe, & veluti vicarium ſuum & Deum quendam terreſtrem conſtituiſſe: Hac tantum cõditione, ſi eum creatorem ſuperiorémque ſuum recognoſceret. Ad hæc nos neque Barbaros, neque æthnicos, vel Idololatras eſſe paſſus eſt: verùm Chriſtianis parẽtibus genitos, ſtatim per ſacram ablu-

tionem regeneratos in filios adoptauit. Et ne Socratis, atque Athenienſiũ more (in quibus gloriabatur Plato) Deos ignotos coleremus, Conſors & particeps naturæ noſtræ factus, ſeſe nobis pro præceptore exhibuit: patris voluntatem, & cœleſtes diſciplinas, ac verba vitæ æternæ, pari virtute ac familiaritate ediſſerens. Vnde & nobis in Apoſtolis (ne quem excuſationis

Iohan. prætextum quæramus) dixit. Omnia quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis: Quid quod & ſe in cœlum ad patris dexteram recepturus, ſpiritum ſanctum in terras demiſit: qui nos doceret modò Euãgelij prædicationiſq́ue miniſterio, modò inſpirando, & tacitus animabus noſtris illabendo, omnem veritatem: omnia denique ſuggeret quæcunque ille nobis in Apoſtolis & turbis concurrentibus Iudęorum prædixerat. Verùm (me iudice) illud multò maximum fuit, erga nos beneficium. Quòd nos in filios adoptionis receptos, in commenſales ſuos ſua dignatione recepit: Carne & ſanguine propriis, corpora animáſque noſtras in dies reficiẽs. Si ſpectas igitur, Vnde vel iſti vel nos venerimus, Nihil certè præſtans atque eximium

mium in exordiis noſtris,& ipſa veteri cô-
uerſatione reperies. Homo ſiquidem ſicut *Pſalm.*
fœnũ,dies eius tanquã flos agri,ſic efflore-
bit. Et(Sãcto Iob autore) Homo natus de *Iob.*
muliere,breui viuens tẽpore repletus mul-
tis miſeriis. Et quid putas eſſe poterit ho-
minis vita citra Dei cognitionem , niſi vel
mera ſtoliditas,vel cymmeriæ tenebre. Ec-
ce igitur:O plebs fidelis &Chriſto deuota,
habes vnde iſti venerũt , & vnde venimus
ipſi:Nempe de tenebris & regione vmbræ
mortis : Illud eſt quod reſpondet Senior
Iohanni Dei dilecto dicenti ſibi, Domine
mi,tu ſcis.Hi ſunt(inquit) qui venerũt de *Apoca*
tribulatione magna, & lauerũt ſtolas ſuas
& dealbauerunt eas in ſanguine Agni.

Breuiter(auditores)vobis explicuimus
vnde venerunt iſti.Deinceps nobis narrã-
dum occurrit,qui ſint?quam quæſtionem
ne nobis pluſquàm ſcripturis tribuere vi-
deamur,Reſoluet Apoſtolus dicens.Chri-
ſtiani ſunt:Iamiam à ſuſcepto baptiſmate
Chriſto inſerti , & membra Chriſti facti.
Quicunque (inquit) in Chriſto baptizati *Galath.*
eſtis,Chriſtum induiſtis.Non eſt Iudęus,
neque Græcus,non eſt ſeruus neque liber,
non eſt maſculus neque fœmina. Omnes

enim vos vnũ eſtis in Chriſto Ieſu. Olim feri & beſtiales, propter peccatum eius de
Pſalm. quo ſcriptum eſt. Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumẽtis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Nunc demum quaſi modo geniti infantes rationabiles, diſciplinæ ſalutaris lac
Pſalm. concupiſcunt: Deo dicentes. Notam fac nobis domine viam in qua ambulemus, quia ad te animas noſtras leuauimus. Olim mancipia diaboli: nunc Ciues & domeſtici Dei. Eodem Apoſtolo illis hoc
Ephes. 2. fœlix Euangelium nunciante. Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis Ciues Sãctorum & domeſtici Dei: ſuperædificati ſuper fundamẽtum Apoſtolorum & Prophetarum; Ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu: In quo omnis ædificatio creſcit in templum ſanctum in domino. Dicam amplius Patres & fratres amantiſsimi. Olim filij Belial atque angeli Satanæ: Nunc demum quaſi angeli lucis, atque adeo filij Dei facti ſunt: Angelos ipſos quibus aliquãdo ſeruiebant iudicaturi. Cuius rei mecum teſtis erit, ille ipſe Apoſtolus
Rom. 8. ad Romanos ſcribens. Quicunque ſpiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt, &c. Et ipſe

ſpi-

ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro,quia ſumus filij Dei: ſi autem filij & hæredes: Hęredes quidem Dei,cohæredes autem Chriſti. Ecce igitur fœlici ſucceſſu facta eſt eorum, hęreditas domini. Et ipſi viceuerſa hęreditas Chriſti facti ſunt: Filij merces, fructus ventris. Quidni? Cum eis ſicut & nobis dederit Deus poteſtatem filios Dei fieri, credentibus in nomine eius: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt: verbo Dei carne atque homine facto. Hęc eſt generatio atque natiuitas ſecũda: Generatio dico quęrentium Deum, quærentium faciem Dei Iacob. Exufflatus eſt ſcilicet de corporibus eorum ac noſtris, per Sacroſanctum lauachrũ, Satanas: & princeps huius mundi foras eiectus. Clauſa eſt conſcientiarum noſtrarum ianua diabolo, & aperta eſt Chriſto. Quæ cauſa fuit, vt ſancti huius natalis die abiecerint tyrunculi noſtri opera tenebrarum, & induerint arma lucis: albis induti ad procedendum obuiam Chriſto domino. Verùm hîc mihi myſteriorum cœleſtium altitudine ſtupefactus, interrogabit aliquis. Sed qua tandem ratione

Pſalm.

tione ex tam sordidis miserísque, vsque-adeo clari atque illustres euasere Candidati nostri? huic pro me respondebit, ille ipse qui Iohanni in spiritu rapto apud Pathmum apparuit, Senior, (Cui etiamnum propter canos & reuerentiam ætatis plus fidei tribuendum est,) Quia lauerunt stolas suas & dealbauerunt eas in sanguine agni. Stola vniuscuiusque viri conscientia est & vita: neque enim quis familiarius intimiúsve ex vestibus suis cognoscitur, quàm ex quotidiana conuersatione. Proinde adolescentuli & Neophiti nostri, quorum conuersatio ac viuendi consuetudo nuper nigra, ęruginosa, feralísque erat, posteaquã induerunt Christum. Hodìe mutati & prorsus ab iis qui olim erant dissimiles comperiuntur: quia scilicet lauerunt stolas suas, & diuerso viuendi proposito dealbauerunt eas in sanguine agni. Sic Æthiopissam, id est animam peccato discolorem sibi iungit, & in spõsam recipit Moses noster mysticus Christus: Si tamen prius saltem voto atque affectus pietate, pellem mutarit. Si crines vnguésque raserit: id est superflua & pompas huius seculi nequam reliquerit, ác cœ-
lesti

lesti sponso (allophilos suos despiciens) per fidem in baptismo datam atque acceptam hęrere incipiat. Non vobis figmenta narro, viri Christiani: nec friuola putanda sunt quę vobis ex ore nostro pendentibus proponuntur. Eorum ferè omnium testes estis. Ecce auribus vestris audiuistis, atque animis plane intellexistis, spiritalis huius ac mysticę desponsationis fœdus. Audiuistis Christum ministri sui organo interrogantẽ, Credis in Deũ patrẽ? Credis in Deum filiũ? Credis in Spiritum sanctum? Abrenuncias Satanæ, omnibus operibus & pompis eius? Et si baptizari vterque vellet? Quibus annuẽtibus seipsis, (quia ætatem & rationẽ habent qua per se loquantur) necnõ per susceptores suos patrimos dico ac matrimas, fidei infirmorũ opitulantes, aspersi sunt aquis salutaribus: atque in ipso ablutionis articulo, hauserũt in gaudio aquas gratiæ cœlestis de fontibꝰ saluatoris: aquas dico quæ potantibus fiũt fons aquæ saliẽtis in vitam æternam. Sicut & nos omnes aliquãdo de eorundem fontium plenitudine, & viuentibus scatebris accepimus. In quarum virtute menstruata à sanguinis profluuio sanatur: & Naaman

à lepra

à lepra curatur: Pardus pellem ſuam mutat, & qui ſeruus erat Diaboli efficitur domeſticus ac filius Regis æterni. Sic itaque habitantibus in regione vmbræ mortis, ſine Deo, ſine lege, ſine rege, lux orta eſt eis: viſitante & ſuper eos irradiante oriente ex alto. Nec hîc mihi quiſquam obganniat inconſultóve exiſtimet factum quòd in ſacroſanctis myſteriis, iis duobus Chriſti cãdidatis, legitimam alioqui ætatem aſſecutis, iam ex parte Catechizatis ac pro ſe reſpondere valentibus, adiuncti ſunt veluti opitulatores, qui eiſdem manus auxiliatrices ad gratiæ diuinæ ſuſceptionem protenderēt: & ſacrę huius ablutionis teſtes oculati haberentur, Patrimos dico & matrimas, immo verò ſi vis vniuerſam turbæ circunſtantis Eccleſiam: habent enim iſta iuſtam rationem cur ita fiant: ſacramenta quippe omnia purius ſinceriúſq; in fide Eccleſię quam particularis cuiuſlibet hominis deuotione tum cõficiuntur, tum diſpenſantur, ac recipiuntur. Vnde cõfidenter de miſericordia & gratia ſperantes diuina, recẽs natos infantes (quanuis idipſum derideãt proteruiẽtes hęretici) cùm fidem propriã non habeant, in fide baptizamus aliena.

Quid

Quid enim si infans pro se loqui non potest? pro quo vox sanguinis Christi fratris eius clamat ad patrem misericordiarum de terra. Astat nihilominus & clamat mater Ecclesia. Quid tandem infans? An non & ipse vobis videtur quodammodo inhiare, & de fontib⁹ saluatoris vociferari ad Deú, suísque vagitibus supplicare? Domine vim patior, responde pro me: flagitat scilicet auxiliú gratiæ, quia vim patitur ab origine, & peccati alterius se sentit pręmi grauamine. Ita ergo clamant hæc omnia: sanguis fratris, fides matris, destitutio miseri, & miseria destituti: Porrò, pater seipsum negare non potest. Pater est, atque misericordiarum, ac proinde miserorum pater. Nemo hîc mihi dicat, quia nó habet fidé, cui mater impertit suam, inuoluens illi in sacramento, quousque idoneus fiat assensu euolutá purámque percipere. Nunquid breue est pallium Ecclesiæ, aut nimis arcta est inconsutilis illa redemptoris nostri tunica, vt non posit ambos cooperire? Magna est Ecclesiæ fides. Nunquid minor fide Chananeæ mulieris? quam constat & filiæ potuisse sufficere, & sibi: Ideóque audire meruit à domino: O mulier magna est fides

fides tua: fiat tibi sicut petiisti. Nũquid mi nor est fide illorum, qui Paralyticum per tegulas demittẽtes, animę illi simul & corporis obtinuere salutẽ? Vt vidit Iesus fidẽ illorum (inquit Euangelista) ait Paralytico. Confide fili, remittuntur tibi peccata.
Matth.:- Quorsum hæc? Eorsum sanè, vt intelligãt omnes Ecclesiæ, fidem in peragẽdis sacris mysteriis primum locum tenere: Eíque (tanquam indefectibili regulæ) potius insistendum Christiano cuilibet esse, quàm propriæ credulitati. Omnes nouimus quàm vacillans & fragilis sit atque infirma singulorum hominum virtus: Nec clam nobis est quàm mutabilis & nutans sit mortalium sententia. Quod autem Ecclesiæ autoritate statuitur, id à spiritu sancto primordia habet, ob ídque fixum & immotum manet. Adde si placet notabilem illam & suspiciendam prærogatiuam quam Ecclesiæ suæ repromisit Saluator, dicens. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portę inferi non præualebunt aduersus eam. Hoc cœlesti promisso fulta Ecclesię authoritas tuto suę sententię fidit, Conscia eius quem præsidem, atque rectorem ac veritatis omnis docto-

doctorem principio accepit. Singuli verò Christianorum sua infirmitate satis supérque admonentur auxilij à Deo petendi, atque obsecrandi, quatenus frigidam credentium fidem adaugere & adiuuare velit. Iustis igitur rationibus actum videtur; vt ad priuatam candidatorum nostrorum fidem, suffragantis Ecclesiæ accederet robur. Sic enim decet Christi, Seruos omnẽ implere iustitiã, & plus ex maiorum prælatorúmque suorum, quàm ex proprio iudicio pendere. Ob ídque si quæritur: Qui sunt isti qui de tribulatione & angustia prius venerant? tutò respondebimus, quia innocentes manibus & mundo corde: Ideóque albis vestiti ad protestandam eam quam nuper adepti sunt cordis corporísque puritatem. Hęc si quidem est huius sacrę ablutionis gratia, purgatio delictorum: quam operatus est in illis inuisibiliter, at nõ prorsus illis imperceptibiliter, is qui solus potest mundum facere de immundo conceptũ semine. Vos sacramenti huius quod vobis enarro testes eritis locupletissimi: qui oculis vidistis, & auribus vestris audiuistis, quam liberè & ex animo non fictæ vel dissimulanter sese Christo domino

domino deuouerunt. Et poſt tanta & tam clara teſtimonia, poſt tam denſam teſtium optimorum nubem quis ambigere queat, an illos verè térque quatérque beatos dicere poſsimus? quos Chriſtus ſanctificatos iuſtificatóſque ſuo ſanguine purificauit? Hę ſunt ſtolę illę cœleſtes, in quibus naſcente reſurgentéque domino, lętitiam teſtati apparuerunt cœli ciues. Vnde & candidati noſtri nunc nunc cœleſtibus ſtolis amicti quadantenus cœlo aſcripti meritò

Marci vlt. cenſeantur, Chriſto domino dicente: Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit. Quorum puritati ac niueo candori, ſicut atteſtatur cum hac venerabili cõcione ſancta mater Eccleſia, Ita ſublimius eidem teſtimonium reddunt in terra quidem, ſpiritus, aqua, & ſanguis: at multo clarius excel-

Iohan. 5. lentiúſque in cœlo Pater, Verbum, & Spi-

Marci vlt. rituſſanctus. In quorũ nomine collata receptáque eſſe cõſtat cœleſtia ſacramenta. Quamobrem valeat & hinc procul faceſſat vetus anabaptiſtarum ſuperſtitio: quę tanquam parum valida eſſent, tot & tanta teſtimonia, aut lauachro nouo indigeat qui iam lotus eſt, & mundus totus, ſacram ablutionẽ iterari repetíque ſuadebat, quaſi Chriſtus

Christus secundò passus sepultúsque prò nobis fuerit, vt per baptismū in eius mortem illi iteratò consepeliamur: Apostolo cum Ecclesia impio errori libera voce reclamantibus iis verbis. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quibus sua legè subscribēs clariss. Imperator Iustinianus, Eorum (inquit) damnamus errorem, qui Apostolorū præcepta calcātes, Christiani nominis sacramentum sortitos, alio rursus baptismate non purificant, sed incessant, lauachri nomine polluentes. Neque magis viro catholico recipienda erit Bohemorum stoliditas: qui recens natos & nuper aluo matris exceptos infantes, illico volūt à salutari lotione ad corporis & sanguinis dominici cōmunionem præsentari: nec cibi illius cœlestis eminentiā: nec paruulorum infirmitatem diiudicantes: Qui si dictorum factorúmque suorum pondus perpenderent, nec leuitate plusquam muliebri de arduis ac difficilibus mysteriis decernerent, agnoscerent vtique pueros & recēter baptizatos homines, adhuc in Christo infantes esse: quibus lacte eruditionis magis opus sit, quàm solido cibo: necdum

Roma. 6

C. lib. 1. itereturb ptismo. L antistit.

enim per ætatem & promotionem suã illius potentes & capaces sunt. Ideóque illis Christus, per Augustinum certissimũ veritatis Euangelicæ interpretem sigillatim dicit: Ego sum cibus grandium, cresce & me manducabis: nec (quod in aliis accidit edulijs) tu me mutabis in te: sed tam beata quàm noua Metamorphosi mutaberis in me. Iuxta quam disciplinam maturo consilio, tum in adolescentulis nostris, tum in prouectæ ætatis hominibus nuper baptizatis, ad statutum tempus prorogantur sacrosanctæ συνάξεος epulæ: quibus suo tempore perfruentur, quando, scilicet per ętatem & sanctum fidei catechismũ capaces mensæ domini comperientur: ante quos terminos non aliter quàm lactantes infantes videmus, bolo, vel mica panis potius strãgulari & suffocari, quàm nutriri? Ita carne Christi vix vnquam ante præfinitos termi nos vesci possent, sine suo aut alterius offendiculo. Crescent itaque modis vtrisq;: crescent (inquam) adiuuãte Christo, & eo quem perceperunt spiritu sancto: ac tunc manducabant. Satis est si pro modulo ętatis & cõditionis interea prętexta angelorũ vtantur: aliquanto pòst eorundẽ cõmensa-

August. lib. 2. de confess.

les fu-

les futuri. Nã vulgato quoque prouerbio apud philoſophos pronũciari teſtatur Seneca. Neminem repente fieri magnum. Et ſcripturæ ſanctæ aſtruunt ſubſtantiã feſtinatam cito euaneſcere. Quanquã oppidoquàm magni, nobiles atque illuſtres ſunt vel hoc ſolo nomine: quia in Chriſti familiam adoptati quorum celſitudine ſtupefacta Eccleſia, ait: Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis cõfortatus eſt principatus eorum. Hinc eſt quòd grãdiloquus ille Chryſoſtomus, Archipręſul Conſtantinopolitanus, eo ſermone quem ad baptizãdos nobis ſcriptũ reliquit, illos vſqueadeo reuerẽter atque honorificè interpellat iis verbis. Optimè noui quãtum vos paulopoſt beatitudinis culmen excipiet: & quantã tenebitis poteſtatẽ. Quemadmodum autem eos precibus multi ambiunt ſupplices, quos ſpes eſt ad dignitatũ faſtigia eleuandos, & futuri potẽtatus gratia adulationibus eis ſeſe commendare feſtinant, & ante poteſtatis tempus ſe ſociãt, quo futura mereantur. Hoc ego mihi diligenter excogito, hoc ſolerter mihi præparo. Non enim ad ſimplicem gloriam eleuari ſperatis: ſed ad ipſam imperij cœleſtis

Seneca.

Chryſoſt.

ſtis poteſtaté. Et ideo vos peto. Ideo omni deprecatione vos poſco, vt quãdo ad illud regnũ veneritis, mei memores eſſe velitis. Et ſicut Ioſeph patriarcha pĩcernarũ principi dicebat: Meméto mei cùm benefactũ tibi fuerit: hoc & ego nunc peto, hoc dico. Mementote mei quando vobis benefactũ fuerit: Mementote inquã mei, quando vos illud ſuſcipiet regnum, quando regale vos proteget indumentum, quando purpura dominico ſanguine tincta decorabimini: quando coronam ſolaribus radiis ſplendiorem ſentietis in capite. Hæc ille longo verborum ac ſententiarũ tractu proſequitur, diſquirens ac deſcribens eam quam omnes in baptiſmo nanciſcuntur Chriſtiani, animę puritatem. Tanta etenim diuinę gratiæ miſericordia eſt, támque exuberans dei ac Saluatoris noſtri benignitas in hoc ſacramento, vt iuſtos faciat ſudore omni ceſſante: quod illi non eſt difficile. Nam ſi imperatoris præceptio paucis cóſcripta literis, multorũ criminum reos liberare cóſueuit, aliis quoq; præſtare culmina dignitatum: multo magis ſanctus & cuncta potens Dei ſpiritus, omni nos malitiæ reatu in ſanguine agni pró ſalutę noſtra occiſi

liberarę


liberarē poteſt · atque inſuper variis iuſtitiæ chariſmatibus exornare. Ob quam cauſam factum exiſtimo, vt hæc ſancta ablutio (tametſi peccati veniam, in nobis operetur) non tamen lauacrũ remiſsionis peccatorum, nec lauacrum purificationis, ſed regenerationis dicatur: quia nó nobis ſimpliciter peccata concedit, nec ſimpliciter nos purificat malis actibus implicatos, ſed tãquã è cœlo generatos facit. Verũ enimuero, quid eſt Patres & Fratres Chriſtiani, quòd ſtatim à ſaluifica illa natatoria Siloë ſpiritalis, pueri noſtri oleo ſalutari vncti ſunt? Baptiſmus, ſi neſcitis, ſacramentũ eſt militiæ Chriſtianæ: Vnguntur verò quaſi athletæ ad futura certamina, & tentationẽ viriliter repellendam, ac vincẽdam. Nam ipſe quoque Chriſtus anteſignanus atque imperator militiæ noſtræ, ſtatim à baptiſmo & ieiunio tẽtatus eſt, Itaque vncti cõfirmatíque ſunt ad pugnam futuram tyrones noſtri: vt fortiter ſpiritu ſancto cuius gratiam perceperunt opitulãte, inſultibus mundi, carnis, ac dæmoniorum reſiſtere queant. Et cum Paulo dimicẽt, non quaſi in incertum, nec quaſi aërem verberantes ridiculo Andæbatarũ more, ſed caſtigent

corpus suum,& in seruitutem redigāt, seipsos primū vincentes, & sibi imperantes, postmodum hostes sibi vndequaque insi-
ob.7. diantes domituri: Nam militia est vita hominis super terrā: & supernæ quidē in nostrum exitium excubāt nequissimi dęmones, mille dolis, mille nocendi artibus in nos armati. Tum rursus à dextra leuáque, à fronte pariter & à tergo, mundus hic nos oppugnat: qui iuxta Ioannis vocem totus in maligno positus est, Neq; verò simplex oppugnādi ratio. Interim enim rebus aduersis velut aperto marte sęuiēs, animi mœnia graui quatit ariete: interim ingentibus quidem, sed vanissimis promissis ad defectionem solicitat: interim actis obliquè cuniculis inexpectatus adrepit, nos oscitātes ac securos oppressurus. Postremò infernè quoque lubricus ille anguis, primus pacis nostrę proditor, nunc in virenti gramine concolor abditus, nūc in cauernis suis delitescens, centenis contortus voluminibus non desinit Euæ nostræ, id est carnalis & cōcupiscibilis hominis parti insidiari. In ipsis deniq; animi nostri penetralibus, hostem ferimus plusquam familiarem ac domesticū: quo vt nihil interius ita nihil esse
potest

poteſt periculoſius. hic eſt vetus ille Adã conſuetudine pluſquam ciuis, ſtudio pluſ quam hoſtis: quẽ neque arcere vallo licet, neq; caſtris exigere fas eſt. Aduerſus eorũ aduerſariorũ inſultus nos ſuæ gratiæ oleo vngit & armat ſpiritus ſanctus: aduerſus eoſdem nos admonet in diſcipulis vigilare atque orare Chriſtus, inquiens: Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Hęc eſt itaque ratio, cur ſtatim à ſancto lauacro, ſacri olei delibutione inungũtur regeneratorum membra. Nempe ad viriliter dimicandum & pręſtandum ea omnia quæ gnauum par eſt præſtare militẽ Chriſtianum. Si verò quęritur quibus vel procuratoribus vel autoribus iſti quos videmus ad tãtam gloriam prouecti ſunt, tuto reſpondere poſſumus: Opificem Deum illis primum huius pręſtantiſsimi beneficij autorem fuiſſe. Poſt Deum autẽ illuſtriſſ. & pietatis religioniſque obſeruãtiſſ. Hęrã meam dominam Antonetam à Lotharingia, cum ſtrenuiſsimo heroë de Vilgaignó, huius ſalutis cooperatores fuiſſe: hîc de profundo barathri, id eſt de terra quæ Deum neſcit eos reducendo in Galliã, Illa Cathecíſmi baptiſmíque eorũdem curam

ſuſcipiendo vt cætera taceantur, quæ illis hactenus præſtitit & in futurum præſtare animo conſtituit. O tã claris atque eximiis patronis fœlices adoleſcẽtulos, iamiam in Dei familiam ciuilitatémque receptos, tãdem gloria beatorum angelorum perfruituros, ſi incorruptas incõtaminatáſque huius innocentiæ ſanctificationiſque ſtolas ſeruauerint. Eia agite macti animi adoleſcentes. Videte ne vos tãti muneris capiat obliuio, néve negligentiæ vel ingratitudinis vitio vobis tantum bonum excidat: & cum turba hac Chriſtianorũ aſtante (quã veſtræ fœlicitati applaudentem conſpicitis) nobiſcũ Deo Opt. Max. gratias agite: qui vos in diuerſum mutatos, de tenebris & regione vmbræ mortis, in admirabile lumen ſuum vocauit.

DIXI.



11


BIBLIOTECA